JUS FEUDALE

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.

MARINI GUARANI

IN UNIVERSITATE NEAPOLITANA

JURIS CIVILIS

PRIMARII PROFESSORIS

JUS FEUDALE

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.

TOMUS II.

Jus successorium exhibens.



NEAPOLI MDCCXCIII.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Cum publica venia.



INDEX TITULORUM;

Qui in primo tomo continentur.

VII.

Viro

Viro · Incomparabili · Francisco Aquinati · Caramanici · Principi · Utili · Plurimorum · Oppidorum · Domino · Ex · Familia · Inter · Illustriores Italiae · Domos · Nulli · Secunda · Et Ab · Ipsis · Comitibus · Aquinatibus Vetustissimis · In · Regno · Neapolitano Dynastis · Exorta · Philosophiae · Musarum · Et · Quod · Longe · Praestabilius Sanctioris · Humanitatis · Alumno · Liberalitate · Ferme · Regifica · Ac · Pecuniae · In · Honestissima · Quaeque Erogandae · Apprime · Comparato · Ingenii · Acumine · Morum · Suavitate · Fide · Integritate · Constantia · Felicissimo · Ferdinando · Acceptissimo · Ex Siciliensium · Communi · Voto · Pro Rege · Siciliae · Praeesse · Iusso · Atque · In · Proximo · A · Principatu Fastigio · Quod · Difficillimum · Apud Ho-

Homines · Qui · Nec · Totam · Libertatem · Nec · Servitutem · Ferre · Insueverint · Omnium · Ordinum · Plausum · Adepto · Marinus · Guaranus Ipsius · Amplitudini · Devotissimus · Partem · Hanc · Alteram · Iuris · Feudalis · Neapolitani · Ac · Siculi · Obsequii · Sui · Testificationem · In · Praesens · Monumentum · Virtutis · Ejus Ad · Posteros



IN-

INTRODUCTIO

IN FEUDALEM SUCCESSIONEM.



Uamdiu barones olim aut ad tempus, ac veluti precarii titulo, aut ad vitam usque in feudorum possessione fuerunt, ea politicam Civitatis constitutionem spectabant. Per id temporis igitur feuda ad jus tantum publicum pertinebant, neque ad feudales controversias dirimendas leges de privatorum patrimonio ferri solitas scribi oportebat. Ita ad Caroli Calvi Principatum usque lex ulla de feudis nusquam occurrit, quæ ad jus privatum referri possit. Enimvero ubi liberis, aliisve cognatis eorum successio delata fuit, atque in feudis privati etiam patrimonii rationem spectatam oportuit, ea legum quoque civi-

lium materia cœperunt esse. Proinde privatum jus quoque scriptum, ut lites feudorum occasione inter privatos subortæ definiri possent. Quapropter in feudis rite constitutis jus aut publicum, aut privatum spectari queat. Ita jus quidem publicum in eis spectabitur, si de baronum militari servitio, aliisve juris publici articulis sit controversia. Contra jus privatum in feudis inspicietur, si de ipsorum successione, alienatione, & id genus aliis judicium instituatur. Cum igitur feudorum respectu jus privatum frequentius in disceptationem venire soleat, hoc in libro id potissimum enucleabimus; successionis autem feudalis argumentum ejus initium nobis erit. Exemplum tamen Triboniani sequuti feudalem successionem enarraturi primum testamentariam, deinde legitimam exequemur.

JUS

JUS FEUDALE

NEAPOLITANUM, AC SICULUM

LIBER II.

TITULUS I.

De testamentaria feudorum successione.

ALibi advertimus, ex jure feudali communi feuda generatim omnia ex pacto, & providentia censeri oportere *libr.* 1. *tit.* 3. §. 3. Ibidem monuimus, in feudis id genus non minus primo acquirentes, quam ipsorum liberos investitos intelligi. Proinde ex regulis juris feudalis communis testamentaria feudorum successio prorsus ignota, neque jure ordinario quicquam in feudum baronibus in testamento licet. Hinc vulgatum feudistarum carmen, *post*

baronis obitum legis ipsius providentia; *tamquam sagittam*, *in liberos statim transire feudum*. Ejus rei illustre extat monumentum *consuet. feud. libr.*1. *tit.* 8. Sic enim ibi collector. *Si quis decesserit*, *liberis*, *vel filiabus superstitibus*, *succedunt tantum filii æqualiter*, *vel nepotes ex filio loco patris tui*, *nulla dispositione defuncti super feudo manente*, *vel valente*. Cum vero *dispositionis* vocabulo fideicommissum quoque contineatur, nugas agit Christianus Peslerus, qui impensius adlaborat, ut probet, sine consensu directi domini posse baronem feudum pactitium, seu *ex pacto*, *& providentia*, quod dici solet, fideicommisso subjicere *in thesaur. Jenich. tom.* 2. *pag.* 305. Igitur multo minus, quod idem pertendit, contra investituræ legem uni tantum ex liberis ex jure communi feudum antiquum prælegari potest. Eo enim inspecto, neque quic-

quam

quam in feudum antiquum testatori licet, & secundum investituræ legem ad liberos æque omnes redire debet.

II. Quæ hactenus exequuti sumus, explorati quidem juris videri debent, si feudum sit antiquum. Difficilius tamen definire fuerit, num eadem & ad feudum novum extendi debeant, an de eo saltem primus ejus quæsitor pro arbitrio statuere possit legem in testamento dicendo, quæ investituræ adversetur. Finge exempli gratia feudum cuiquam concessum sub lege Francorum, & quod ad filium natu majorem redire oporteat, ea quidem in specie dubitari queat, an patri liceat, filium natu minorem in eo præferre. Operam autem abutuntur, qui post Camerarium ad *c. Imperialem. pag.96. a r.* eo controversiam redigunt, an cum venia Principis id testatori liceat. Si enim id Princeps indulserit, ea facultas testa-

tori denegari nequit, seu paternum, seu avitum sit feudum; & miror ego Hartmannum Pistor. in eo juris articulo tanto molimine adlaborare *libr.* 2. *quæst.* 4. *n.* 23. *& sequ.*

III. Species igitur ita debet effingi, an scilicet primus feudi quæsitor sine venia Principis pro arbitrio de feudo statuere possit, & contra investituræ legem illud legare filio natu minori. Ea de controversia in consuetudinibus feudalibus nil usquam occurrit, cum, iis inspectis, feuda omnia de jure Longobardorum sint, & ad liberos virilis sexus æque omnes redire jubeantur. Inde id tantum inferri queat, testatorem non prohiberi feudum de jure Longobardorum filio tantum natu majori legare ob præsumptum domini consensum, cujus melior conditio redditur ob faciliorem reversionem ad fiscum. Ita enim edicunt consuetudines feudales *libr.*

2. tit. 9. meliorem nempe conditionem feudi facere vassallus *potest: deteriorem vero sine domini voluntate facere non potest*. Id ipsum inculcat Ardizonis, & Alvarotti fragmentum apud Cujacium *libr.* 4. *tit.* 108. *Nulla juris constitutione, aut consuetudinis, usu sque longævi observantia probiberi sciscitatus invenio, vassallum arctiori lege feudum in alium, ubi libet, posse transferre*. Enimvero loca isthæc propositam controversiam non definiunt. In eo igitur legum defectu, si æquitatem spectes, deneganda non videtur ea testatori facultas. Haud absurde enim quis dicat, tacite conventum videri cum Principe, ut sine ipsius detrimento, quam velit, legem feudo a se primum quæsito quis dicat. Verum & excipere queat filius natu major, se jure per investituram quæsito excidere non oportere. Ea controversia judicio Sacri Consilii remissa per

Principem olim adeo difficilis visa, ut augustus ille Senatus a dicenda sententia abstinuerit, ac litem compromisso finiri jusserit. Et ego igitur comperendinandum reor, eaque de re divale judicium expectandum.

IV. His ita præstitutis, aperte liquet, inspecto jure communi feudali, jus baronis in feudum cum fato mortalitatis extingui. Perperam igitur baro aut feudalia prædia, aut eorum usumfructum in testamento legat. Ex lege enim investituræ ad proximum successorem feudum liberum redire debet. Is vero ipsis oneribus hereditariis heredes alias gravare solitis non adigitur, modo allodiali hereditate defuncti se abstinuerit. Cum tamen meliorationes in feudo factas ipsum jus feudale ad allodialem baronis heredem pertinere jubeat *consuet. feud.* 2. 28. §. *si vassallus*. id tantum in testamento baroni licet, ut feudalem he-

heredem ad meliorationes alteri exolvendas damnare possit. Quod ad fructus autem in feudo pendentes, ii directo domino addici debent, si ante Kalendas Martii sine feudali herede vassallus oppetat; sin post Martii Kalendas ad Augustum usque, pertinent ad baronis heredes *d. tit.* 28. §. *bis consequenter*. Inde igitur licet inferre, cum eodem discrimine de feudi fructibus baronem testamento statuere posse. Ceterum cum utile per inutile jus civile vitiari vetet, si quis in feudo, & allodio extraneum scribat heredem, saltem allodialia heres vindicare poterit.

V. Porro cum ipsius legis jussu ex jure feudali communi ad proximos cognatos deferatur feudi successio, opportune disceptari queat, an proximus feudi successor in allodialibus heres a barone scriptus bonorum separationem postulare possit, &, feudo sibi retento, he-

hereditatem allodialem repudiare; ita vero æris alieni exolvendi, & reliquorum hereditariorum onerum neceſſitatem effugere. Hanc ipſam ſpeciem proponit, ac definit conſuetudinum feudalium collector *libr.* 2. *tit.* 45. Sic enim infit. *Si contigerit, vaſſallum ſine omni prole decedere, agnatus, ad quem univerſa hereditas pertinet, repudiata hereditate, feudum, ſi paternum fuerit, retinere poterit, nec de debito hereditario aliquid feudi nomine ſolvere cogitur. Ubi vero filium reliquit, ipſe non poteſt hereditatem ſine beneficio repudiare; ſed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet, quo repudiato, ad agnatos, ſi paternum ſit, pertinebit.* Cum hoc loco convenit, quod collector addit *libr.* 2. *tit.* 51. §. *filius*. Sic enim ibi. *Filius non poteſt hereditatem recuſare ſine feudo; propinquus autem poteſt.* Sed ejus differentiæ rationem haud ine-

pte

pte quis quærat. Absurdum enim videtur, agnatum quidem heredem institutum ad separationem petendam admitti, atque, allodiali hereditate omissa, feudum retinere; id ipsum denegari filio, cum quo benignius videbatur agendum. Verum salva res est, & ea in re ratio juris feudalis apprime constat. Nimirum tantum in antiqua feuda, non vero in nova succedunt agnati. Ita quidem in feudum communis avi mihi succedit patruelis meus. Id igitur fictione juris non videtur a me accipere, sed a communi parente. Ita, repudiata hereditate mea, in feudum patruelis succedet, non quasi in feudum meum, sed tamquam in feudum communis avi. Proinde, omissa hereditate mea, feudum recte vindicat, neque debitis, atque oneribus hereditatis meæ obligabitur. Contra filius in antiquum feudum patri succedens id videtur ab

ipso

ipſo patre, non ab avo cum patrueli communi capere; aliter patrueli ſuo præferri non poſſet. Igitur tamquam patris heres in feudum avitum admittitur. Proinde ſeparare bona non poteſt, ac, feudo retento, hereditate patris ſe abſtinere. Vide Cujacium *libr.* 4. *de feud. ad tit.* 54.

VI. Si igitur jus commune feudorum inſpicias, ſaltem liberi cum hereditaria qualitate in feuda ſuccedunt. Cum vero hereditas etiam ſine corpore juris intellectum habeat, ſi præter feudum nil patri ſit, is in teſtamento filium damnare poteſt, ut exempli gratia decem millia cuiquam ſolvat. Ea in ſpecie filius & legatum implere debet, & qualitatem hereditariam exuere non poteſt, niſi feudo quoque velit excidere. Hæc diligentius perpendi velim ad rectam eorum intelligentiam, quæ de jure Neapolitano, ac Siculo infra dicturi ſumus.

mus. His raptim de facultate baronis in testamento ex jure feudali communi delibatis, subjiciamus, oportet, quatenus seu moribus, seu lege scripta in Regno Neapolitano barones de feudis statuere testamento possint.

VII. Quatenus apud nos barones de feudo testari queant, decerni vix potest, nisi in antecessum definiatur, cujus qualitatis in Regno Neapolitano sint feuda. Alibi vidimus, feuda apud nos mixta esse; in ea igitur feudales heredes cum hereditaria qualitate succedere *libr.* 1. *tit.* 3. §. 16. *& sequ.* Ibidem evicisse videor, non cerebrosis doctorum commentis, sed ob politicas rationes eam feudis qualitatem ab ipsis Nortmannis fuisse inditam. Sane receptæ apud eos investituræ formulæ *tibi, & heredibus* duo inculcabant; liberis scilicet feuda deferri oportere, & ea ad liberos cum hereditaria qualitate re-

redire. Utcumque id fuerit, si accuratius res perpendatur, *mixta*, quæ nos feuda appellamus, a pactitiis, seu quæ *ex pacto*, *&* *providentia* vocant, nil quicquam differunt. Ut enim supra ostendimus, pactitia quoque feuda hereditariam qualitatem in successore requirunt, saltem si de liberis sit controversia. Ea de re dubitari non sinunt consuetudines feudales *libr.* 2. *tit.* 45. *&* 51. Constat igitur, feudorum quidem mixtorum vocabulum novum esse, ac per doctores Neapolitanos excusum, reipsa tamen ea ipsa feuda a pactitiis non differre; feuda Neapolitana quoque a qualitate per jus commune feudis imposita non recessisse; recte etiam dici posse, ea apud nos generatim ex pacto, & providentia esse seu ob jus commune feudale in Regno receptum, seu, quod magis existimarim, quia ea de re Nortmannis Principibus ita placuerit.

Sub-

Subductis autem rationibus, id tantum consuetudines feudales inter, & receptos in Regno mores interesse putem, quod ex jure communi feudali tantum respectu filiorum hereditaria qualitas feudis inesse potest, ut constat ex locis supra productis. Conf. Henric. de Cocceii *de feud. hered. mixt. in thesaur. Jenich.* §. 32. *& sequ.* Verum qualitas isthæc feudis in Regno generatim hæret. Apud nos enim non minus liberi, quam alii feudales heredes separationem petere nequeunt, atque hereditatem defuncti debent amplecti, si feudo potiri velint. Id juris etiam in Sicilia servari oportere, in tempore memorabimus.

VIII. Ex dictis liquet, nil quicquam interesse, num Regni Neapolitani feuda pactitia, seu ex pacto, & providentia, an mixta appellentur. Utrumque enim vocabulum eumdem apud nos parit ju-

ris

ris effectum, nullo tamen cum successoris discrimine, seu ex linea laterali, seu ex liberorum sit numero. Uterque enim in feudi successionem admittitur providentia Principis, & ob pactum cum primo acquirente initum tacite latens in concessionis formula, seu exempli gratia concepta fuerit sub verbis *tibi, & heredibus*, seu *tibi, & filiis*, seu sub Andegavensibus excuso carmine *tibi, & heredibus ex corpore*, in quam sane sententiam omnes ordinariæ investituræ recidunt. Quicumque tamen fuerint feudales heredes, ad eos feuda cum hereditaria qualitate redeunt, ac non solum defuncti creditoribus respondere debent, sed & legatis ab eo relictis obligantur. Licet igitur in Regno baro proximo successori feudum non possit adimere, ob qualitatem tamen hereditariam ei hærentem a testatore damnari potest, ut ipsum feudi

pretium solvat extraneo. Conf. Rovit. *ad pragm.* 4. *de feud. n.*114. & Camerarium ad *c. Imperialem. pag.*97. *l. p.* Ubi tamen feudi pretium extraneo præstari jusserit testamento baro, quid intersit liberos inter, & reliquos feudales heredes, infra videbimus.

IX. At vero cum proximo successori feudum ipsum adimi testamento non possit, opportune hic disceptari queat, an, feudo ipso legato, ejus saltem æstimatio possit a legatario peti. In eo juris articulo in diversas sententias abiere doctores. Complures negant; pauci rectius fortasse affirmant. Potissimum negantium argumentum eo redit, feudum rei extra commercium jure censeri oportere; eo igitur contra leges legato, æstimationem a legatario frustra postulari. Enimvero licet secundum investituræ legem feudi commercio careat in testamento baro, ejus commercio tamen

legatarius non interdicitur. Atqui, ut consistat legatum, sufficit rei commercium habere legatarium, licet ejus commercio careat testator, aut heres *l.* 34. *ff. de verb. obligat.* & *l.* 49. §. 3. *de legat.* 2. Eo accedit, quod, feudo legato, res eo recidit, quasi alienum legatum sit prædium. Quemadmodum igitur, si sciens testator prædium alienum leget, saltem æstimationem heres legatario præstare debet §. 4. *inst. de legat. et l.* 67. §. 8. *de legat.* 2. ita & baronis heres feudum dare damnatus necessitatem æstimationis præstandæ nequit effugere.

X. Sed & ea in re ultra processerim. Nam feudi æstimationem præstandam existimarim, licet incapaci feudum legatum a barone fuerit, modo legatarius pretii capiendi sit capax. Eo me trahit Ulpianus ipse *in l.* 11. §. 16. *ff. de legat.* 3. Ibi scilicet definit juris-

risconsultus, alieno servo tessera frumentaria, militiave a sciente testatore legata, aestimationem domino praestari oportere, licet militiae, aut tesserae frumentariae cives tantum capaces forent. Lubet igitur rem totam absolvere ejusdem Ulpiani monito *in d. l.* 11. §.17. *ff. eod. Ex his apparet, cum per fideicommissum aliquid relinquitur, ipsum praestandum, quod relictum est; cum vero ipsum praestari non potest, aestimationem esse praestandam.* Quapropter juris inscitiam crassiorem produnt, qui sine judicio alios exscribentes scriptitant, feudo legato, ad ejus saltem aestimationem heredem non obligari. Quod autem diximus, generatim obtinere debet, nec quicquam intererit, num ipse filius, an alius feudalis heres a barone sit institutus. Conf. Ludovic. Crell. *in thesaur. Jenich. t.*2. *p.* 2. *pag.* 934. Ceterum num ea in specie totum feudi pretium legatario sit

exolvendum, an ex eo legitimæ detrahenda sit quantitas, infra videbimus, ubi de feudali legitima sermonem instituemus.



TITULUS II.

Quid baronibus in testamento liceat jure Neapolitano novissimo.

UT supra evicimus, a juris communis regulis in Regno Neapolitano feuda non recesserunt, seu pactitia, & ex pacto, & providentia, seu ea mixta appellare velis; ex ordinaria etiam investituræ formula necessario liberos in ea succedere. Id tantum præter scita consuetudinum feudalium, & contra primævam feudorum naturam apud Neapolitanos, ac Siculos obtinet, quod in masculorum defectu succes-

cessio fœminis quoque pateat ob Friderici II. legem *in constit. ut de successionibus. de success. nobil. in feud.* Inspecta igitur in Regno Neapolitano ordinaria investituræ lege, si ex liberis baroni superstites futuræ essent tantum fœminæ, atque alius feudalis heres ex laterali linea, fœminis adimi feudum testamento non poterat, idque plerumque per nuptias in alienas familias transferebatur.

II. Enimvero duriusculum videbatur, feuda majorum labore parta alienissimorum hominum hereditatem fieri cum detrimento familiæ, unde cum fœmina migrarent. Ad hoc igitur incommodum præcavendum Urbs, barones, ac Regnum Philippum II. precibus interpellarunt, ut in feudis seu quaternatis, seu non quaternatis jus baroni foret, feudo fœminam proximiorem excludere, ac seu contractu, seu testa-

mento de eo ſtatuere in favorem maſculi, qui, ſi fœmina non concurreret, proximior heres feudalis futurus eſſet: ſupplici quoque libello poſtulatum, ut ea in ſpecie pro baronis arbitrio dos ex ipſo feudo decerni poſſet excluſæ fœminæ, ſi nondum ei nuptiæ conciliatæ forent; ſi vero jam enupſiſſet, in eam ex feudo quæquæ donatio pro liberalitate baronis conferri poſſet; pro indemnitate etiam fiſci additum, ut antiquum etiam in prædicto maſculo feudum cenſeretur, neque eo reſpectu feudalis ſucceſſio producta intelligeretur ultra gradus in jure Neapolitano conſtitutos. Baronum deſideriis ſolemni formula *placet* Princeps indulſit *pragmat.* 33. *de feud.* Cum igitur in ea pragmatica nil quicquam Princeps adjecerit, quo ſupplicis libelli ſententia ſit coercenda, ex ipſo libello, ſi qua ea in re controverſia ſubnaſcatur, definiri debet.

III.

III. Explorati autem juris est, idque ipse baronum libellus inculcat, feudum in masculum ita translatum qualitatem suam haud amittere, & ex memorata pragmatica adhuc antiquum censeri oportere. Constat scilicet, translato in eum feudo, qui fuerit quidem in investitura vocatus, successor non sit tamen proximus, in ejus persona feudum novum effici, ut recte observat Andreas de Isernia ad *tit. quid jur. sit si vassall. feud. recup.* Proinde, ne eam ob rem fiscus aliquid detrimenti caperet, recte in libello insertum, ut feudum apud masculum jure antiqui feudi censeretur. Si enim id expressum non esset, feudum cum detrimento fisci evasisset novum. Sed hæc ex ipsa pragmaticæ lectione liquent. Illud disceptari queat, num, ea inspecta, baroni concessum intelligatur, ut non tantum fœminam proximiorem conjunctam ex la-

latere, ſed & filiam ipſam, aut neptem poſſit excludere. Controverſia iſthæc ſacro Conſilio definienda propoſita ann. 1680. adeo difficilis credita, ut de ea ipſum Principem conſulendum exiſtimarit, ut teſtatur conſiliarius Altimarus ad *Rovit. deciſ. 94. n.* 1. Verum ego non video, cur tam auguſtus Senatus in re ſua ſponte manifeſta comperendinandum putarit. Ipſa enim ſupplicis libelli verba dubitari non ſinunt, eam veniam conceſſam videri tantum reſpectu fœminæ conjunctæ ex latere, neque jus datum baroni excludendi filiam, aliamve virili ſexu prognatam. Nimirum ibi ſtatuitur, ut, ea facultate baro ſi uſus eſſet, poſſet pro arbitrio ſuo, quam vellet dotem, innuptæ fœminæ dicere, conſtituere; ſi fœmina enupſiſſet, ab ejus humanitate pendere, qualem qualem donationem in eam conferre. Si igitur dotis dictio ibi remittitur

titur baronis arbitrio, si is nolit, dotem mulieri constituere non cogitur. Quapropter cum baronum, cum Principis sententia fuit, tantum intra mulieres conjunctas e latere privilegium coercere. Ipsa igitur ratio Neapolitani juris ad filiam, aut neptem baronis id vetat extendi. Inspecto enim jure Neapolitano, ex ipso feudo, si allodia desint, baronis filiæ dos constitui debet *constit. in aliquibus*.

IV. Hactenus exposita satis evincunt, pragmaticæ 33. privilegium tantum adversus fœminas conjunctas e latere locum habere potuisse, neque ad fœminas extendendum, quæ aut ipso barone, aut ejus liberis virilis sexus prognatæ forent. Per eas igitur facile fieri poterat, ut feuda in alienas familias transferrentur. Proinde alio libello supplici Carolus VI. Imperator aditus anno 1720. baronibus adhuc indulsit, ut,
ipsis

ipsis filiabus, aut neptibus per masculos susceptis exclusis, in feudo masculos præferre possent, qui post fœminas proximiores forent, & intra gradus successionis feudalis essent. Sed, in re celeberrima lubet ipsa privilegii verba hic exhibere ex *pragm.* 38. *de feud. Placet sacræ Cæsareæ, & Catholicæ Majestati, gratiam concessam pragm.* 33. *de feud. cujus vigore possunt feudatarii, quibus ex legibus Regni essent fœminæ successuræ, illis posthabitis, instituere proximiorem masculum, cui, ipsis fœminis non extantibus, deferenda esset successio, procedere, ac vires habere, quamvis agatur de filiabus, aut aliis fœminis descendentibus ab ultimo possessore.*

V. Hic autem juvabit advertere, in supplici libello, qui prædictæ pragmaticæ tricesimæ octavæ præponitur, bono, seu malo baronum dolo plura fuisse congesta, & quædam ibi petita, quæ con-

contra juris feudalis rationem erant. Proinde non simplici *placet*, quod in pragmatica tricesima tertia factum, rescribit Princeps; ita enim inferri potuisset, precibus illis omnibus eum cessisse: ὁριστικῶς igitur respondendo indulgentiæ suæ modum imponit, ac, precum luxurie coercita, tantum concedit, ut in prædicta specie masculum jus esset institui, licet de filia, aut nepte controversia foret. Longe igitur interest pragmaticam inter 33. & 38. *de feud.* In illa precibus omnibus generatim indultum; in hac per taxationem rescribitur, ac, ceteris denegatis, masculus tantum gradu proximus ipsi filiæ, aut nepti præferri conceditur. Proinde si quæ controversiæ ea de re enascantur, recte quis postulabit, ut definiantur ex ipso libello *in pragm.* 33. *de feud.* At in controversiarum definitione perperam quis provocaret ad libel-

bellum *in pragm.* 38. *eod.* cum eum in desideriis omnibus Princeps non confirmarit.

VI. At vero utriusque pragmaticæ occasione nodus hic oritur longe difficillimus, & qui diversis sententiis ob studia partium in foro agitari solet. In supplici libello scilicet *pragmat.* 33. ut supra monuimus, baroni permittitur, exclusæ e feudo mulieri dotem qualem qualem pro arbitrio dare. In libello *pragmat.* 38. barones petunt, ut prælato masculo, filiæ in feudo legitimam constituere jus esset. Controversiam igitur finge in filia, atque in ea specie pone, non aliud præter feuda in patrimonio baronis esse. Ita disceptari possit, utrum solidam legitimam præstari filiæ ex feudo oporteat, an sufficiat, ei dotem dari, quæ *de paragio* dici solet, & qua nubere ex dignitate liceat. Libello quidem pragmaticæ tri-

tricesimæ octavæ quis hærens haud inepte dixerit, solidam legitimam ex feudo deberi. Ast ei haud absurde reponi possit libellus vim legis adeptus *in pragm.* 33. *de feud.* Sed & adversus ita pertendentem excipi opportune queat; in eo agi de fœmina ex latere baroni conjuncta, non vero de ea quæ per ipsum baronem suscepta fuerit. Proinde in eo rationum conflictu aliunde controversia definiri debet.

VII. Ut igitur eo perveniamus, in primis perpendendum reor, quæ mens eam veniam postulantium fuerit, & quid intellexerit in ea concedenda Princeps. Si res penitius inspiciatur, nemo inficias iverit, & baronum, & Principis mentem fuisse, ut, quam minime fieri posset, familiarum avita bona per fœminas delibarentur, neu per nuptias alio migrarent. Ea de causa veluti ex compacto convenisse viden-

dentur, ut masculus agnatione proximus veluti in familiam baronis asscisceretur; inibi filii ferme locum obtineret, ac fœminæ quodammodo frater adoptivus fieret. Quemadmodum igitur a patre alias, vel fratre mulier non solidam legitimam, sed tantum dotem, qua honeste nubat, petere potest; ita & in præsenti specie baro filiæ dare, legare adigitur non solidam quidem ex feudo legitimam, sed dotem *de paragio* tantum, & qua possit ex dignitate nubere. Numquam enim edicunt Regni Neapolitani leges, ut nupturæ filiæ dotis nomine præstetur, aut legetur legitima. Nam & Friderici II. constitutiones, & consuetudines Neapolitanæ id tantum præscribunt, ut mulieres secundum paragium collocentur. Conf. *jus Regn. libr.* 3. *tit.* 8. §. 8. Eo accedit, quod ejus dotis causa mulieri in feudum ipsum hypotheca compe-

petit. Vide Joseph. de Ros. *in prælud. feudal. lect.* 10. *n.* 16. Ipsi barones in libello *pragmat.* 38. *de feud.* petunt, ne eam ob rem fiscus aliquid detrimenti caperet. Atqui si solida legitima ex feudo mulieri decernatur, res in fisci damnum redire posset, si, feudo ei delato, solidam ex eo legitimam mulieri præstari oporteat. His adde, legitimam in feudis jus feudale omnino ignorare. Vide Hartmann. Pistor. *qu.* 38. *n.* 48. *& sequ.* & Montan. *de regal.* §. *fin. n.* 12. Quod igitur ob masculorum favorem receptum est, cum fisci, & baronum damno, & luxus etiam incitamento in consequentiam trahi non debet. Proinde si concessa in pragmatica venia barones utantur, & privatæ familiarum, & fisci rationes exposcunt, ut ex opulentis feudis ipsi filiæ barones tantum paragium dare adigantur. Nunc videamus, quatenus per fideicommis-

missa, & *majoratus*, quos vocant, de feudis barones statuere possint.


VIII. Quamvis, ut sunt res hodie, in baronem utile feudi dominium transferatur, in eo tamen & intra concessionis limites versari debet, neque illud injussu Principis alienare potest. Nimirum, ut in tempore ostendemus, non minus per consuetudines feudales, quam per Regni leges jure quodam fiduciario feudum baro possidet. Ex lege enim investituræ feudum non tantum primo acquirenti, sed & filiis, ceterisque liberis in infinitum concessum intelligitur. Proinde alienationes omne genus baroni interdictæ videri debent. Cum igitur & per fideicommissum alienatio facta censeatur *l.* 8. §. 3. *ff. de alien. judic. mutand. caus. fact.* facile rationem reddes, cur ne fideicommissum quidem, vel *majoratus*, quem appellamus, in feudis possit institui. Conf. Horn.

Horn. *in jurisprud. feudal. c.* 2. §. 8. Inspecta scilicet ordinaria investituræ lege, statim a testatoris obitu feudum, ut dici solet, *tamquam sagitta*, transire debet ad liberos. In leges igitur committit baro, si feudalem heredem fideicommisso gravet, licet ei mandet, ut liberis, aliisve in gradu feudali positis feudum restituat. Id respiciens collector consuetudinum feudalium *libr.* 1. *tit.* 8. ita edicit. *Si quis decesserit, filiis, & filiabus superstitibus, succedunt tantum filii æqualiter, nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente.* Neque vero cum Pesfero regeras *de feud. fideicomm.* §. 6. baronis fideicommissum ratum saltem haberi oportere, si feudum liberis, aut familiæ proximioribus servari jusserit. Id enim injurium erit adversus Principem. Nam ita arbitrium ei præripitur, ut cum ipsius assensu feudum successor

alienare possit. Atque ita quidem apud nos olim obtinuit cum ob consuetudines feudales, cum ob juris Neapolitani regulas. Enimvero jure Neapolitano novissimo vetus remissus est rigor. Anno enim 1655. Philippus IV. indulsit Regni baronibus, ut fideicommissa, & majoratus in feudis instituere jus esset, modo cum fisci fraude eo privilegio non uterentur, neque fideicommissum protenderent ultra gradus successioni feudali præstitutos *pragm.* 34. *de feud. edit. Cervon.* Quid autem ea in re juris apud Siculos obtinere oporteat, infra videbibus *tit.* 4.



TI-



TITULUS III.

De legitima feudali.

SUpra quidem evicimus, inſpecta ordinaria inveſtituræ lege, feudum proximo ſucceſſori non poſſe adimi, jus tamen baroni eſſe heredem in teſtamento damnare, ut ejus pretium ſolvat extraneo. Enimvero, ut ſunt res hodie, cum feuda patrimonii partem longe maximam complecti ſoleant, ut in reliquis rebus, ita in eis quoque legitima liberis relinqui debet. Proinde ſi de liberis ſaltem ſit controverſia, non totum feudi pretium legatario ſolvi oportebit: inde enim pro quantitate legitimæ partem ſibi filius retinere poterit. Alibi quoque advertimus, in feudis de jure Francorum filium natu majorem præferri; filiis vero natu mi-

noribus ex ipso feudo *vitam*, *&* *militiam*, quam appellamus, præstari oportere *constit. comitibus. de adjutor. pr. milit. fratr.* Cum legitimæ feudalis, cum vitæ, & militiæ occasione frequentissimæ sunt in foro lites. In hac igitur rubrica legitimæ argumentum enucleabimus. De vita, & militia opportunius infra videbimus.

II. Quod igitur ad legitimam liberis ex feudo præstandam, ejus nec volam, nec vestigium in primævo feudorum instituto, & in ipsis consuetudinibus feudalibus invenire licet. Nimirum ab initio in feudis potius militiæ stipendium, quam privati patrimonii ratio spectabatur. Vix igitur crediderunt legum feudalium conditores, baronem in testamento successorem legatis adeo gravatum ire, ut ex feudi fructibus militiæ munus sustinere non posset. Cum tamen liberis saltem cum hereditaria qua-

qualitate feuda deferrentur, exemplis innotuit, ipſo feudi pretio legato, militare ſervitium præſtari vix poſſe. Inter facultatem igitur legandi feudi pretium in teſtamento, & militaris ſervitii præſtandi neceſſitatem, mediam quamdam ab initio viam electam oportuit, qua & ſalva eſſet legandi facultas, neque feudalis ſucceſſor tolerandæ militiæ impar evaderet. Eam, ut ego rationes ineo, ipſa ſervitii militaris neceſſitas ſtatim monſtravit. Ex conſtitutione ſcilicet Friderici I. *Imperialem. in conſuet. feud.* 2. 55. barones ipſos in bellicas expeditiones ſub ſignis Principum proficiſci debebant: ſi abeſſe vellent, ſemiſſem ex feudorum reditibus præſtare jubebantur. Inde interpretatione juriſconſultorum inlatum, non totum quidem feudi pretium in teſtamento legari poſſe; æſtimationis ſaltem dimidium ad ſuſtinendum militiæ onus

ſucceſſori feudali ſalvum eſſe oportere. Ita ipſa juris communis feudalis ratio ſuaſit, ut, toto feudi pretio legato, ſemis ejus ſaltem ſucceſſori cederet.

III. Porro, ut ſuperiori libro monuimus, ſæculo ſaltem decimo tertio conſuetudines feudales in omnes ferme Europæ provincias, & in ipſum Regnum Neapolitanum, ac Siculum penetrarunt. Ita apud nos quoque eadem ferme ratione militare ſervitium pro arbitrio Principum aut præſtitum, aut prædicta æſtimatione ſolutum. Vide Camerar. ad *c. Imperialem. pag. 94. l. G.* Servitium in pecunia præſtari ſolitum *adhoam* dixit poſterior ætas, ut paſſim admonent Regni pragmatici in ſcriptis ſuis inconcinnis, & tenebricoſis. Adhoa tamen iſthæc pro diverſitate feudorum apud nos diverſe æſtimabatur. Totam ea in re diverſitatem ex ſententia Iſerniæ ita enarrat Camerarius

ad

ad *d. c. Imperialem. pag.* 93. *lit. B.* Sic enim is ibi infit, Iserniæ auctoritate producta, differentiam inculcans inter prædictam Friderici I. constitutionem, & mores in Regno receptos. *Observa id, quod videmus in Regno; quippe adhoam, quæ solvitur in Regno, aliter solvi, quam fructus in textu isto,* legis Fridericianæ scilicet, *quia in Regno in feudo novo cum vassallis non solum solvitur medietas fructuum, ut hic, sed aliquid plus. Est enim quodlibet feudum valoris viginti unciarum sic considerati, ut singula feuda unum militem præstent, & cum majoris reditus aliquod castrum, vel comitatus fuerit, hac ratione servitia computantur, hoc est, ut pro singulis viginti unciis redituum solvantur decem unciæ cum dimidia pro feudo novo.* Jam inde igitur discrimen erat inter novi, & veteris feudi adhoam. *Quæ plus sunt ip-*

ſa medietate fructuum. Rurſum in feudo novo ſine vaſſallis ſolvitur minus, quam pro viginti unciis; adhoa erit unciarum ſex. Si vero feudum conſiſtat in aliqua re, a qua pecunia ſolvitur, hoc caſu pro viginti unciis non ſolvet vaſſallus, niſi uncias quinque. Sed nos de adhoa, ejuſque ſolvendæ diverſa ratione in libro tertio commentabimur. Id tantum in anteceſſum hic admonemus, in ſingularum viginti unciarum reditu in feudo cum vaſallis decem uncias cum dimidia non a ſolo barone fuiſſe præſtitas. Quinque enim cum quadrante adjutorii nomine a vaſſallis exigebantur, ut oſtendemus *loc. cit.* Proinde in ſingulas redituum feudalium viginti uncias quinque tantum cum quadrante a barone ſolvi oportebat. Feudi igitur pretio legato, paulo plus pretii quadrante ſibi retinebat heres, ut ſeu perſonale ſervitium, ſeu adhoam Principi præſtare poſſet.

IV.

IV. Jam vero quamdiu in feudis veluti militiæ ſtipendium potiſſimum ſpectabatur, neque ea rationem privati patrimonii habebant, præter prædictam ex pretio detractionem aliud legitimæ nomine ſucceſſor vindicare fortaſſe non poterat. Ut enim recte ſcribit Montanus *de regal.* §. *final. n.* 12. *feudales leges non attenderunt hanc legitimam juris civilis, ſed tantum politicum ſtatum Reipublicæ, illiuſque conſervationem, & in toto feudali jure nullibi ſit mentio hujus legitimæ*. Enimvero, bellorum æſtu deferveſcente, per inſequuta tempora ob res in præliis præclare geſtas perraro feuda conceſſere Principes. Ea igitur per emptionem ſeu cum privatis, ſeu cum fiſco iniri ſolitam ſæpius ſibi quæſivere barones. Ita, mutata rerum facie, filiorum reſpectu privati quoque patrimonii rationem in feudis ſpectatam oportuit. Proinde licet

jus

jus feudale neque patrium, neque commune legitimæ liberis in feudis debitæ usquam mentionem injiceret, naturalem tamen æquitatem sequuti doctores legitimam liberis in jure civili præscriptam ad feuda etiam extenderunt: id autem diu ante Camerarii tempora receptum jus videbatur, ut ejus scripta suggerunt ad c. *Imperialem. pag.* 103. *l. I.* Cum igitur in utroque hodie Regno non in toto feudi pretio a parente liberi gravari possint, sed eis salvam oporteat esse legitimam, operæ pretium facturi videbimur, si ejus quantitatem definiamus.

V. In quantitate legitimæ definienda immane interest jus feudale inter, & Romanum, quod in rebus allodialibus obtinet. Inspecto scilicet jure civili novissimo pro diverso filiorum numero diversam Justinianus jussit esse legitimam. Is enim veteri juri obrogans filiorum le-

legitimam ad trientem extendit, si ii quatuor, aut pauciores essent; sin quinque, vel plures, legitimam jussit semissem esse *novell.* 18. *c.* 1. In legitimæ autem ratione ineunda liberi omnes partem & faciunt, & accipiunt. Pone igitur cuiquam sex esse filios, cui minimum relictum velit, eum saltem in uncia instituere debet.

VI. Ita quidem de liberorum legitima in rebus allodialibus edixit Justinianus. Quod tamen ad legitimam feudalem, discors sententia doctorum est. Ea in re adeo desipuere quidam, ut totum exempli gratia feudum de jure Francorum filii natu majoris legitimam esse pertenderent, quos merito ridet Marinus Freccia *de suffeud. de differ. int. feud. ex pact. & hered. diff.* 19. Sed in absurda pragmaticorum commenta non vacat inquirere. Ea in re lubens subscribo receptæ ferme in foro senten-

tiæ, & quam late tuetur Camerarius ad *c. Imperialem. pag. 99. ad* 104. Is vero ſtatuit, in feudo de jure Francorum filii natu majoris legitimam trientem eſſe. Per me igitur, ſi Camerarii ſententia vera ponatur, in feudis de jure Francorum *tertiam totius* filii legitimam eſſe oportebit, non vero *tertiam tertiæ*, ut dici ſolet. Proinde in ejuſmodi feudo ſi fingas, feudi pretium parentem extraneo legare velle, pretii triens filio natu majori debet addici. Conf. de Marin. *allegat.* 103. *n.* 3. & Rovit. ad *pragm.* 4. *de feud. n.* 111. *& ſequ.*

VII. His recte perpenſis, facile ratio intelligetur, cur in rebus allodialibus quidem in tertia tertiæ legitimæ ratio ſit computanda; in feudis vero in tertia totius eam computari oporteat. Ea in re ſcilicet ne recedas e feudo de jure Francorum; ita differentiæ ratio ſta-

tim

tim patebit, ipsis regulis Romani juris inspectis. Nimirum ex jure civili si liberi quatuor non excedant, legitima erit tertia pars ejus, quod ad eos pervenisset, si intestatus decessisset parens. Patre sine testamento obeunte, feudum de jure Francorum totum deferri debet filio natu majori. Si igitur legitima tertiam partem ejus complectitur, quod cuiquam perventurum esset ab intestato, tertiam totius feudi filii natu majoris legitimam esse oportebit. Enimvero in feudis de jure Longobardorum eadem ratio suadet, ut ratio legitimæ in singulis filiis in tertia tertiæ computetur. Hæc si recte percipiantur, & jus ipsum facile intelligetur, & juris recepti causæ.

VIII. Enimvero quod diximus, in feudo de jure Francorum in tertia totius legitimam constituendam esse, id quidem coercendum puto, si de feudo novo;

& ab ipſo teſtatore quæſito ſit controverſia. Ea enim in ſpecie teſtatori licebit in tertia tertiæ legitimam filio natu majori conſtituere. Nimirum ſi agatur de feudo novo, non ipſum quidem feudum, ſed ejus pretium ad hereditatem allodialem pertinet, & fictione juris ipſa pecunia pro eo expenſa in hereditate cenſetur extare. In eam ſententiam argumentum deſumi queat ex *l.* 23. *ff. de adim. vel transfer. legat.* Ibi ſcilicet definit Papinianus, filiæ legata pecunia, mox in emptionem prædii eadem expenſa, legatum non peremptum videri, quia pecunia cenſeri debet extare, quæ in patrimonii corpus converſa fuerit. Eo igitur exemplo pecunia quoque, qua feudum quæſitum ſit novum, extat adhuc fictione juris. Ita vero feudi novi pretium hereditatem burgenſaticam auget. Proinde reſpectu pretii, ut in reliquis rebus

bus id genus, ita in novo quoque feudo legitimam non in tertia totius, sed in tertia tertiæ constitui oportebit. Conf. Camerar. ad *c.Imperialem. pag.*104. *l.Q.* & Rovit. ad *pragm.* 25. *de feud. n.*25. *& sequ.*

IX. Antequam hinc discedamus, haud inutile definire fuerit, num, si reliqui feudales heredes præter liberos feudi pretium restituere damnentur in testamento, solidam ejus æstimationem exolvere eos oporteat, an & ipsi seu legitimam liberorum exemplo, seu ratam qualem qualem ex pretio sibi retinere possint. Pragmatici & veteres, & recentiores eo inclinant plerique omnes, ut in solidum feudi pretium reliqui feudales heredes damnari possint, neque ex ejus æstimatione eis legari quicquam oporteat. Id ipsis suasit jus civile Romanum, ex cujus regulis præter parentes, & liberos cognati reliqui & pro arbi-

trio

trio prætiriri a testatore possunt, neque querelam inofficiosi testamenti habent. Ea vero sententia majorem sibi excivit in foro plausum, ubi in liberis feudalis legitimæ ratio ex regulis Romani juris æstimari cœpit. Sed, semota auctoritate doctorum, videamus, quid in eo juris articulo ipsa feudorum natura suadeat.

X. Eo ut perveniamus, rursus advertendum hic reor, in defectu juris feudalis seu patrii, seu communis non semper ad jus Romanum provocari posse, præsertim si ipsa instituti feudalis indoles rationes a jure civili diversas iniri jubeat. Perperam autem ego crediderim, ad propositam speciem jus Romanum fuisse productum. Neque enim quia exempli gratia in allodialibus patruelis legitimam patrueli legare non cogitur, inde inlatum oportuit, feudo patrueli legato, eum in solidum pretium

tium a testatore damnari posse cum ludibrio legum, quæ proximis heredibus feuda adimi non patiuntur. Quid enim interest, num feudum cuiquam adimas, an eum solvere jubeas, quanti illud sit æstimatum? Nam & vulgatum in jure civili est, cui pretium abest, videri rem ipsam abesse *l. 19. ff. de obligat. & action.* Ita igitur feudum proximo successori ex pacto, & providentia Principis destinatum vix ei ullum emolumentum afferret. Omnia scilicet in Regno feuda ex pacto & providentia sunt, & regulis consuetudinum feudalium subesse debent. Id tantum interest jus in Regno receptum inter, & consuetudines feudales, quod apud nos præter liberos reliqui etiam feudales heredes separationem petere nequeunt, & cum qualitate hereditaria ii quoque in feuda succedunt. Vide, quæ ea de re supra monuimus. Ita in Regno per mo-

res reliquorum heredum feudalium conditio deterior reddita, ubi eos cum liberis æquari placuit. Si igitur reliqui feudales heredes in incommodo qualitatis hereditariæ conditionem liberorum induerunt, in commodo quoque legitimæ liberis æquari debent, neque in totum feudi pretium videntur damnari posse. Aliunde cum feuda veluti militiæ stipendium ab initio fuerint, quæ æquitas liberis inde saltem legitimam delibari suasit, eadem & pro reliquis heredibus feudalibus allegari potest, quicquid grex doctorum secus edixerit.



TITULUS IV.

Quatenus ſtatuere de feudis Siculi Barones in teſtamento poſſint ex capitulo volentes.

QUamdiu ſub Nortmannis, ac Svevis, & ſub ipſa Principatus Andegavenſis auſpicia Regnum Neapolitanum, ac Siculum eidem Principi paruit, utrobique eadem ferme inſtituta, eædem leges obtinuerunt, neque feuda Neapolitana inter, ac Sicula quicquam interfuit. Enimvero poſt Sicilienſem Veſperum Andegavenſibus illum internecivum ob ſtudia Siculorum adverſus Aragonenſes Principes ſingularia quædam privilegia ipſis concedi placuit, quibus Neapolitanis uti non licet, & unde Neapolitanorum inter, & Siculorum feuda differentiæ promanarunt. Quæ-

quæ tamen ea privilegia fuerint, feudorum naturam apud Siculos non immutarunt. Proinde si quibus in juris articulis singulare aliquod privilegium a Baronibus Siculis non producatur, feudales ipsorum controversiæ aut Regni constitutionibus, aut ipsis consuetudinibus feudalibus definiri debent. Id ego edico, prædico, ut præcaveantur nugivendarum quorumdam delira commenta, qui ad promerendam Baronum Siculorum gratiam omnino privilegiaria in Sicilia feuda nugantur esse, & novis Aragonensium legibus ea ita apud Siculos comparata fuisse, ut allodii jure censeri quidem oporteat. Eorum agmen ducit Carolus de Neapoli *in concord. jur. demanial. & baronal.* Eum, veluti vervecem agni, sequuti sunt Siculi doctores haud pauci. Non mirum tamen id jactitasse sycophantam illum commilitonum suorum offis, & jusculo sagina-

natum. Stomachum potius mihi movet Franciscus Testa Archiepiscopus Regiomontanus, qui in frigidiusculis suis adnotatiunculis ad capitula Regni Siculi veluti e Pontificatus sui tripode confidenter pronunciat ad *capit. volentes. Ex hac lege, qua factum est, ut feuda, quod ad hoc attinet, allodii, ut vocant, naturam induerent, feudorum successio patet non solum omnibus ex latere conjunctis in quocumque remotiori gradu existant, sed etiam extraneis.* Vide, quæso, hominis dementiam, & quid cibus fecerit alienus, at at Regius.

II. Porro inter privilegia baronibus Siculis ab Aragonensibus Principibus concessa ad præsens argumentum potissimum pertinet capitulum *volentes*, quod Fridericum II. Aragonensem auctorem habet. Lubet igitur in re celeberrima ipsamet ejus verba hic exhibere, ut de controversiis inde excitari solitis, veluti

in re presenti, decerni possit. Sic igitur ibi Princeps *capit.* 28. *Volentes igitur comites, barones, & nobiles comitatus, baronias, & feuda tenentes à Curia nostra comitatibus, baroniis, & feudis ipsis longius solito posse gaudere, & eorum emergentibus pro tempore necessitatibus absque nostrorum læsione jurium subvenire intuitu servitiorum, quæ dominis Regibus Siciliæ prædecessoribus nostris, & nobis devotione non modica contulerunt, & conferre poterunt in futurum, constitutiones divi Augusti Friderici proavi nostri prædicti, per quas feudorum alienationes sunt inhibitæ, corrigentes statuimus, quod comes, baro, nobilis, seu feudatarius quilibet feuda tenens a Curia nostra, seu quamdam partem feudi absque permissione, seu licentia Celsitudinis nostræ feudum suum integrum, seu quotam partem prædictam possit pignorare, vendere, donare, per-*

mu-

mutare, & in ultimis voluntatibus relinquere, ſeu legare, & quolibet alienationis titulo transferre in unam tantum, eamdemque perſonam digniorem, vel æque dignam, ſeu nobilem, ſicut venditor, ſeu alienator idem extiterit, præterquam in Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas: dummodo de pecunia venditionis ipſius integre decima fiſco noſtro ſolvatur. Ita tamen quod tempore venditionis feudorum hujuſmodi Majeſtati noſtræ liceat pro pretio venditionis ipſius convento inter contrahentes eoſdem dictum feudum emere. Ita quod ſi intra menſem unum a die, quo ad notitiam noſtram pervenerit, numerandum feudum prædictum, vel quotam partem pro dicto pretio non elegerimus emere, & pretium ſolvere, ut prædicitur, venditio valeat, & ſit firma numquam per noſtram Curiam in poſterum infringenda. Si vero feudum in permutationem de-

devenerit, & pecunia intervenerit in permutatione prædicta, quod de pecunia ipsa in recognitionem nostri dominii in feudo vendito, seu forsitan permutato decimam habeat fiscus noster, & nostra Majestas ab emptore recipiat fidelitatis, & homagii tamquam a barone, seu feudatario solitum juramentum. Sed si alio, quam emptionis titulo feudum prædictum alienari contigerit, ut prædicitur, persona, in quam fuerit alienatum, infra annum numerandum a tempore alienationis ipsius nostram adeat Majestatem, & in manibus nostris fidelitatis, & homagii pro feudo prædicto præstet solitum juramentum. In his tamen, & in quibuscumque alienationibus terrarum feudalium, & quotæ feudorum, servitiis, & integris juribus nostræ Curiæ semper salvis, feudo ipso indiviso, & integro perdurante.

III. Facile autem intelligere licet; pro-

productam Friderici legem ad duo potiſſimum capita revocari poſſe. Primo ſcilicet non minus contra jus feudale commune, quam veteres Siciliæ leges a Rogerio, & Friderico latas Siculis indulgetur, ut quocumque contractus genere eis feuda alienare liceat. Deinde ipſis quoque permittitur, ut feuda ipſa extraneis legare in teſtamento poſſint. Quatenus ex prædicta lege barones Siculi de feudis per contractus ſtatuere poſſint, in ſingulari ea de re titulo expediemus. Hic, quod flagitat rerum ſeries, diſquiremus, quatenus, & quibus legibus iis feuda ipſa legare in teſtamento liceat.

IV. Quod igitur ad facultatem legandi in teſtamento feuda, ea Friderici lege non aliud Siculis conceſſum, quam ut ſine aſſenſu Principis, eoque non interpellato, feudum extraneis, & extra gradus ſucceſſionis feudalis poſitis legare

jus

jus esset. Perperam igitur inde sibi persuasere Siculi, eo privilegio in Sicilia feudorum immutatam fuisse naturam, eaque in jus allodiorum fuisse translata. In Regno Neapolitano scilicet, ut supra vidimus, sine speciali Regis assensu heredibus non feudalibus feuda legari nequeunt. Verum, ut Siculis gratificaretur Fridericus, eis indulsit, ut ipsius jussu legis rata foret testatoris voluntas, si feudum legatum esset extraneis. Proinde eo tantum respectu feuda apud Siculos allodiis sunt æquata; in aliis & veterem naturam suam ea retinuerunt, & cum feudis Neapolitanis æquo jure censeri debent. Nimirum si quarum rerum alienatio sit interdicta, eæ quidem alienari poterunt, si precibus Princeps aditus assensum alienationi præstiterit. Eum si in certo alienationis genere speciatim Princeps indulgeat, *assensus hominis* dictitari solet. Sin aliqua generali lege

lege conceſſus is fuerit, *aſſenſus in forma communi* dicitur, & legis ipſius aſſenſus appellari queat. Siculis igitur feudorum legandorum facultate per ipſam legem conceſſa, id tantum ipſis indultum, ut per aſſenſum *in forma communi* feudi ſeu alienatio, ſeu legatum confirmatum cenſeretur; in aliis non intelligeretur mutata natura feudi. Quapropter, ea lege lata, id intereſſe cœpit feuda Neapolitana inter, & Sicula, quod in illis legandis, alienandis venia Principis ſpecialis eſt impetranda. Secus eſt apud Siculos, quibus facultas iſthæc *in forma communi* ab ipſa lege conceditur. Si inde diſceſſeris, feuda Neapolitana, ac Sicula eodem jure cenſentur. Proinde, ipſo capitulo *volentes* inſpecto, nil quicquam feudorum naturæ contrarium ſeu per contractus, ſeu per teſtamentum Siculis cæptare licet. Perperam igitur ii jactitant, poſt eam Friderici legem

gem feuda allodiorum naturam in Sicilia induisse.

V. Ex dictis hactenus facile decerni potest, num promiscuam feudorum legandorum licentiam ea Friderici lege Siculi obtinuerint, an privilegium illud sit coercendum intra leges, quæ *naturalia* feudi, quæ vocant, exposcunt. De privilegiis scilicet vulgata est in jure regula, ea in consequentiam trahi non oportere, atque interpretatione ita coercenda, ut, quam minime fieri possit, ab jure ordinario recedatur. Ei regulæ & in feudalibus privilegiis interpretandis hærendum, si quid iis feudorum naturæ contrarium concedatur. Vide Rosenthal. *c.* 9. *membr.* 1. *conclus.* 40. *n.* 19. & Struvium *syntagm. jur. feud. c.* 2. *aphor.* 8. Indulserit igitur ea lege Fridericus facultatem feudi legandi pro baronis arbitrio; id tamen privilegii monstrum strictius oportet intelligi; ita

vero

vero interpretandum, ut a feudorum natura quam minime recedatur. Proinde ſi quid in feudo legando baro cæptarit, quod feudi naturæ adverſetur, id & fruſtra cœptatum videri debet, & veluti in fraudem legis geſtum irritum prorſus erit. Sed eam in rem argumentis haud opus. Ipſe enim Fridericus edixit, quem vellet eſſe beneficii ſui modum, & quatenus id excurrere oporteret. Nam & ſub initium, & in calce ſuæ legis *ſine ſuorum læſione jurium, & integris juribus ſuæ Curiæ ſemper ſalvis*, feuda alienari, legari jubet. His igitur formulis diligenter inſpectis, hæc in jure feudali Siculo regula per me ſtatuatur: *pro arbitrio Siculis feuda legare, alienare licet, modo ne quid fiat in fiſci fraudem, neu quid inde Princeps detrimenti capiat.*

VI. His præſtitutis, facile definire fuerit, num Siculis, quod ipſi pertendunt, feu-

feudorum legandorum competat infinita facultas, an ita ſit coercenda, ut ea tandem uti barones poſſint, ſi in ipſorum obitu non deſint heredes in gradu feudali poſiti, & queis feuda deferri debent, ſi baro ponatur ſine teſtamento decedere. Sane ſi abnormis illa facultas Siculis aſſeratur, ilicet actum de fiſco erit, nec, quod, ut infra videbimus, feudorum naturæ adverſatur, contingere umquam poterit, ut ad eum feuda redeant. Quotus enim quiſque erit, ut eam offam non ſtudeat fiſco præripere? Sane vix quemquam invenias, qui ſine herede feudali decedens cuivis extraneo potius feudum teſtamento non leget, quod, ipſo inteſtato mortuo, ad Principem ſit rediturum. At per capitulum *volentes*, inquies, Siculis pro arbitrio feuda legare licet. Audio: verum infinitæ illi legandæ licentiæ intercedit ſolemne Friderici veto, qui *ſine ſuo-*

rum

rum jurium læſione , *& ſalvis Curiæ ſuæ juribus* barones ea venia uti juſſit.

VII. Ipſa verba Fridericianæ legis, ut vidimus, in defectu heredum feudalium impedimento ſunt, quominus infinita illa feudorum legandorum facultate apud Siculos barones utantur. Sed lubet aliam viam ingredi, & ipſis conſuetudinibus feudalibus oſtendere, jus in Sicilia baroni non eſſe, ut herede feudali carens feudum in teſtamento leget extraneo: Eo ut perveniamus, figendi ſunt pedes in regula, qua paſſim doceri ſolet, de naturalibus feudi nihil in inveſtitura demptum intelligi, niſi quid eorum privilegio ſuo Princeps ſpeciatim remiſerit. Si id factum non fuerit, naturæ feudorum hærendum, atque in dubio contra baronem ſibi abnorme quid vindicantem reſponſitandum. Vulgatum eſt enim in jure feudali carmen, *præſumptio eſt pro domino, quod ſe contra commu-*

munem feudi naturam non obligavit consuet. feud. 2. 2. At vero contra naturam feudorum est, ut omnino præcidatur spes regressus ad Principem. Ejus regressus necessitatem primævum ipsum feudorum institutum suasit. Cum enim ab initio feuda militaris stipendii rationem haberent, necessario cautum oportuit, ne spes adimeretur reversionis ad Principem, ut nova feudi datione strenuos sibi milites parare posset.

VIII. Enimvero ne rationibus e longinquo petitis tueri videamur feudorum regressum ad Principem, decretoria in eam sententiam argumenta ex eodem jure feudali communi hic producemus. Ea vero juris feudalis regula facile deduci potest ex *libr.* 1. *tit.* 13. Ibi scilicet, Mediolanensium moribus memoratis, quibus ex Lotharii constitutione apud eos invaluerat, ut per libellum feudum alienari jus esset, speciem in eo fingit col-

collector, qui feudum per libellum in Eccleſiam transfert: eam vero alienationem Eccleſiæ factam non valere pronunciat. Rationem reſponſi ſui ſtatim hanc ſubjicit, *ideo ſcilicet, quia feudum numquam reverſurum ſit ad dominum; cum Eccleſia non deſinat heres eſſe*. Conſtat igitur, ibi ſpem regreſſus ad Principem in feudo recto proponi tamquam omnino neceſſariam, & qua ipſa natura feudorum carere nequeat; ea vero prærepta, feudum fruſtra conſtitui. Id ipſum tamquam explorati juris ponunt Ardizonis, & Alvarotti fragmenta apud Cujacium *libr.* 4. *tit.* 73. Ibi nimirum edicitur, baronem capitaneum, majore ſibi feudi parte retenta, reliquum poſſe alteri ſubinfeudare, locare, vendere; eum tamen, qui liberos ſperare non poſſit, id fruſtra cœptare, eoque defuncto, feudum ad dominum ſtatim redire. Id igitur non aliunde pla-

cuit, nisi quia spes reversionis ad Principem ob ipsam feudi naturam præcidenda non foret. Sed lubet in re celeberrimi usus ipsa ejus fragmenti verba hic exhibere. Sic autem ibi. *Summopere mandare curamus, ut, si quis aliquem de beneficio investiverit, quod ille, qui investitus fuerit, non potest per proprium vendere, nec pro levissima re locare, nec infeudare, nisi majorem partem apud se retinuerit, &, si in desperatione filiorum fuerit, nulla ratione, nec quolibet modo dare potest: quæ omnia, si facta fuerint, nullius momenti erunt, &, eo defuncto, omnia ad priorem dominum revertuntur*. Stet illud igitur, neque Regis Friderici legem, neque jus commune feudale pati, ut sine herede feudali decedens in Sicilia baro feudum legare possit extraneis, & in gradu successionis feudalis non constitutis. Nam, ut

ut recte scribit Voetius *de feud. n.* 52. *strictam recipit interpretationem hæc impetrata de feudis testandi licentia*, *eo quod hæc veniæ concessio*, *aut privilegium renunciationem quamdam juris ipsius concedentis continet*, *quæ stricti juris est.*

IX. At vero quod jugulum ipsum baronum petit, ipsi doctores Siculi non aliam capitulo *volentes* sententiam tribuerunt. Nam omnes ferme in eo conveniunt, ea lege tantum obrogari veteri Siciliæ juri, quo sine venia Principis alienari feuda vetabantur; ea igitur neque reversioni in heredis feudalis defectu, neque reliquis fisci juribus derogatum intelligi; tunc tandem præjudicium fisco factum videri, si expresso Principis assensu seu alienatum, seu legatum sit feudum; assensum in forma communi eam in rem non sufficere. In eo juris articulo nobis præivit doctissimus Marchio Simonetta, qui in consulta-

tatione ſua ad Siciliæ Proregem evicit, Siculos omnis ætatis feudiſtas Ubertinum de Marinis, Gvilelmum Pernum, Bernardum de Medico, Petrum de Gregorio, Cumiam, atque generatim alia apud Siculos præclara nomina in eam ſententiam conſpiraſſe. Lubet ob viri apud Siculos auctoritatem hic excribere longiuſculum Cannetiii locum ad ipſum *capit. volentes. pag.*206. Sic enim ibi. *Legislator, ne relinqueret in ambiguo jura propria, expreſſis verbis reſervavit ſibi jura de ſervitio, & de aliis. Operatur enim & unum aliud iſta clauſula. Nam quamvis expreſſa licentia Principis circa alienationem feudi faciat, quod feudum non revertitur ad dominum; etiam quod deficiat, vel moriatur venditor ſine herede legitimo: quamvis ſecus ſit, quando conſenſus eſt tacitus, prout ex iſta lege inducitur. Nam tunc nullum præjudicium reſultat domino, quia* re-

revocat, ſi moriatur venditor ſine legitime herede. Vides igitur, Caroli de Neapoli de commilitonibus ſuis delira commenta quam firmo ſtent talo, & quam cum ipſis doctorum Siculorum conſultis ea conveniant.

X. Ceterum ea apud Siculos jurisprudentia, qua de feudis teſtamento ſtatuere vetabatur, cui in gradu feudali deeſſet heres, diutiſſime in Sicilia non ſola doctorum auctoritate ſtetit, ſed & in ipſis rerum articulis exequutioni demandata fuit. Id ex Lucæ Barberii *capibrevio* potiſſimum liquet. Inde enim eruditiſſimus Marchio Simonetta in doctiſſima illa conſultatione ad Proregem Siciliæ ſcripta ſexcenta ejus politiæ profert exempla. Iis autem inſpectis, apparet, uno, & perpetuo tenore juris, numquam intermiſſo ab ipſo Friderico Rege legis hujus latore ad Ferdinandum uſque Catholicum ad fiſcum rediiſſe eo-

rum feuda, qui ſine herede feudali decederent. Id ipſum firmat mandatum Martini Regis. Is enim in Sardiniam transfretaturus anno 1408. ſacras ipſius abſentis vices agere juſſit Reginam Blancam uxorem. Ejus autem acta, geſta omnia rata quidem haberi juſſit; vetuit tamen, ne ante adventum ſuum ſtatueret de feudis, quæ fortaſſe ad fiſcum reverſa forent. Id vero Princeps fruſtra mandaſſet, ſi per id temporis ſine herede feudali decedentes feuda extraneis legare potuiſſent. Vide Martini Regis *capit. 66.*

XI. Hæc cum ita ſe habeant, recte cavit feliciſſimus Ferdinandus, ampliſſimi in Regno Neapolitano Senatus plena opinione rite perpenſa, pragmatica ſanctione Panormi lata pridie idus Novembris anno 1788. *ob veniam baronibus Siculis capitulo* volentes *a Friderico conceſſam in Sicilia feuda allodia non*

eva-

evasisse; seu testatus, seu cum testamento baro decederet, in heredis feudalis defectu feuda ad fiscum redire oportere, quaecumque foret investiturae formula, & quamvis mere hereditarium feudum controversum esset; investiturae formam ne primo quidem feudi quaesitori cum fisci praejudicio mutare jus esse; cautionis clausulas Regii detrimenti everriculum capitulo per Fridericum insertas rata haberi non pati acta, gesta, in quibus alias expressa Principis venia necessaria foret; si quid adversus isthaec coeptassent barones, id tamquam in fraudem legis factum irritum haberi oportere.

XII. At nondum hinc Siculi abire nos sinunt. Nam & illud definiamus, oportet, num &, heredibus feudalibus extantibus, feuda extraneis generatim apud Siculos legare liceat, an id juris tandem usurpare possint, ubi non obstet

investituræ formula. Pone exempli gratia, quod frequentissimum est investituræ carmen, *tibi*, & *liberis* feudum fuisse concessum, disceptari queat, an & ea in specie feudum seu legari; seu alio modo alienari possit extraneo. Ajunt de foro rabulæ, & quia passim factitatum id norunt, justum etiam arbitrantur. Sane ubi ea sub formula feudo investitus quis fuerit, inspectis consuetudinibus feudalibus, is feudum jure fiduciario possidet. Ejusmodi enim investituræ ea lex tacite inest, ut in primi acquirentis locum succedant, qui ejus sanguine prognati fuerint. Vide Christian. Pesler. *de feud. fideicommiss.* §.4. Id & ratio juris civilis suadet, ex cujus regulis, qui rem alteri restituendam possidet, eam alienare non potest *l.* 7. *C. de reb. alien. non alienand.* Nam legando, fideicommittendo quoque alienatio facta intelligitur *l.* 69. §. 3. *ff.* de

de legat. 2. Perperam igitur sibi blandiuntur barones Siculi, qui capitulo *volentes* innixi jactitant, assensu in forma communi ea lege concesso, sibi jus esse alienare, legare feuda sine expresso Regis assensu, quæcumque sit investituræ formula, cum eorum damno, quibus per ipsam investituram jamdiu quæsitum jus fuerit. Assensus enim per Fridericum concessus in forma communi investituræ legi obrogare non potest. Nimirum ita præstitus per legem ipsam assensus id tantum facit, ut remissa censeatur commissi, seu *caducitatis* pœna, quam vocant, respectu rerum, quarum alienatio per leges est interdicta; idem tamen aut fisco, aut vassalli liberis detrimentum afferre nequit, ut recte observat Joseph Cumia ad *capit. si aliquem. v. antiquis. n.* 245. In proposita igitur investituræ formula sine expresso Regis assensu feudum extraneis ne-

neque legari, neque quoquo modo alienari poteſt, ne privilegia Principum aliis injuriam inferant.

XIII. At vero, ea in re doctores etiam Siculos conſentientes invenire licet. Eorum enim veluti vulgatum ſermone proverbium circumfertur, *facultatem alienandi capitulo volentes conceſſam obtinere tandem, ſi non obſiſtat inveſtituræ forma*. Audi de tota re Gvilelmum de Perno ad *capit. volentes*. *Licet*, is inquit, *videatur alienatio permiſſa per hoc capitulum, attamen ſecundum Saccuraſam, qui fuit dominus Bernardus de Medico, hoc non habet locum, quando feudum eſt ex pacto, & providentia Principis; quia tunc videtur conceſſum, quod tantummodo illud habeant deſcendentes ab illo feudatario, cui ſic primo loco fuit conceſſum feudum: & puto veriſſimum, quia pactum vincit legem; alioquin nulla forma, neque aliquis tenor inveſtituræ*

ræ eſſet attendendus, & fruſtra apponerentur conditiones, & pacta in conceſſionibus feudorum, ſi poſſent auctoritate hujus capituli indiſtincte alienari, quod eſſet contra naturalem, & civilem rationem, & dicta omnium ſcribentium: quia in primis notant formam, & tenorem inveſtituræ, & formam privilegiorum, atque ideo intelligunt, quod procedit liberalitas hujus conſtitutionis, quando forma non repugnat.

XIV. Titulo huic longiuſculo nondum hic finis. Nam & diſceptatum video, num ex capitulo *volentes* in Sicilia liceat feuda fideicommiſſo ſubjicere. Inſpecto jure feudali communi, heredem in feudo teſtator fideicommiſſo gravare non poteſt. Vid. *libr.* 2. *tit.* 1. §. 1. Proinde ſub Nortmannis, ac Suevis apud Neapolitanos, ac Siculos explorati juris id videbatur. Poſt Veſperum Siculum utroque Regno diverſis ſub

ſub dominis fortunam ſuam experiente; in Regno Neapolitano ſecundum conſuetudines feudales feudorum fideicommiſſa ſunt vetita. Primus Philippus IV. Neapolitanis indulſit, ut ſine fiſci detrimento, & intra ſucceſſionis feudalis gradus fideicommiſſa in feuda inſtituere jus eſſet ann. 1655. *pragm.* 34. *de feud.* In Sicilia ea de re nihil diſerte cautum. Siculi tamen barones contendunt, ex capitulo *volentes* ſibi jus eſſe feuda fideicommiſſo ſubjicere. Urgent potiſſimum comma capituli illud, quo baronibus permittitur feuda *in ultimis voluntatibus relinquere, ſeu legare*. Enimvero licet ea verba fideicommiſſa quoque complecti videantur, interpretationem tamen debent accipere ex eo, quod ſtatim ibidem additur. Verba enim latius per ſe patentia in continenti ita coercet Fridericus, ut legando, alienando feuda transferre liceat *in unam*

tan-

tantum, *eamdemque perſonam*. At enim qui in feudum fideicommiſſum inſtituit, non in unam, eamdemque perſonam id transfert, ſed aut æternitatem temporum, aut certe plurium perſonarum ſeriem ſpectare ſolet. Neque regeras, Principis, aut Civitatis non intereſſe, ſi feuda fideicommiſſo ſubjiciantur. Nam Principis quidem intereſt, quia ei facultas præripitur, ne expreſſo ipſius aſſenſu feudum fideicommiſſo gravatum alienari poſſit; Civitatis vero, ne fideicommiſſa feuda commercio eximantur. Eo accedit, quod, per fideicommiſſum alienatione interdicta, decimæ vectigal in feudorum venditione perſolvi ſolitum fiſcus ſperare non poteſt. Siculi quidem doctores plerique omnes ſecus edicunt; iis tamen ego oppoſuerim ſolum Bernardum de Medico conſenſu omnium juris feudalis inter Siculos peritiſſimum. Is enim diſerte ſcribit, feuda fideicommiſſo gravari

vari non posse, *quia licet per capitulum data sit licentia testandi, non tamen vinculandi* ad *capit. volentes. §. si baro*. Cum igitur jus feudale commune feuda fideicommitti non sinat; jus vero Siculum ea in re sit, saltem incertum; ut litibus occasio præcidatur, optimum facto fuerit, ut in tanta inter Siculos fideicommittendi cupidine Neapolitanorum exemplo eam a Principe veniam & ipsi petant.



TI-

TITULUS V.

De successione legitima secundum jus feudale commune.

UBi primum feudale institutum evaluit, prorsus precaria possessio feudorum erat, iisque pro arbitrio Principum beneficiarii privari poterant. Sed tractu temporis perpetuitas feudis accessit, ac partim infirmitate Principum, partim potentatu baronum alibi serius, alibi ocius in eis admissa successio primum in recta, deinde in linea laterali quoque. Quo primum tempore in Galliis, ac Germania legitima feudorum successio per leges constituta fuerit, expedivimus *in exercit. histor.* c.3. Quod ad Italiam Transtiberinam, in qua recta consuetudinum feudalium intelligentia

tia nos subsistere jubet, precaria quoque ab initio feudorum possessio fuit. Et apud Italos igitur pro arbitrio Principes beneficiariis adimere ea poterant, & post ipsorum obitum ne ad liberos quidem redibant. Paulatim tamen & in ea Italiæ parte eo deventum, ut beneficiarii, quamdiu adviverent, in beneficiorum possessione forent; mox filiis etiam, qui sexus virilis essent, delata successio. Sed quoniam legitimam feudorum successionem secundum consuetudines feudales tradituri sumus, operæ pretium facturi videbimur, si in celeberrimi usus argumento tractando accuratius investigemus primam ejus apud Italos Transtiberinos originem, & quibus initiis, quibus auctoribus apud eos feuda primum liberis, deinde & cognatis e latere delata fuerint. Ut autem ordinatim procedat suscepta disputatio, primum de liberorum, deinde parentum, de-

denique de cognatorum è latere successione sermonem instituemus.

II. Quod igitur ad liberorum successionem, lubet totam rei seriem ex ipsis consuetudinibus feudalibus hic exhibere *libr.* 1. *tit.* 1. §. 1. Sic autem ibi collector. *Antiquissimo tempore sic erat in dominorum potestate connexum, ut, quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam. Postea vero eo ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur. Sed cum hoc jure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare. Quod ita hodie stabilitum est, ut ad omnes æqualiter veniat.* Habes hic igitur primævam feudalis successionis originem, & quibus initiis primum, & quo modo filiis feuda delata fuerint.

III. At vero politicæ constitutioni, & militaris disciplinæ nervis vis facta videbatur, feudis generatim ad filios redire jussis. Cum enim ab initio beneficia concedi jus esset iis potissimum, qui ob strenue in bello gesta adversus hostes inclaruissent; quæ vero sunt naturæ vicissitudines, fortes non semper fortes progignant; successione in feudis admissa, fieri quidem poterat, ut nepotes, & deinceps alii imbelles forent. Ita in eo periculo placuit, ut tantum filiis primi gradus successio deferretur. Primum Conradus II. Salicus dictitari solitus, quia Dux Francorum fuit Orientalium, qui Salii sunt appellati, medio ferme sæculo undecimo, ad nepotes ex filio feudorum successionem extendit. Vide Cujac. ad *consuet. feud. libr.* 1. *tit.* 1. §. 2. Ita post Conradum, decollante in dies Imperatorum potentia, moribus receptum, ut ad liberos virilis sexus in in-

infinitum feuda redirent. Ea de re ita collector *loc. cit. Cum vero Conradus Romam proficisceretur, petitum est a fidelibus, qui in ejus erant servitio, ut, lege ab eo promulgata, hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur . . . quod in masculis descendentibus novo jure usque in infinitum extenditur.*

IV. Porro ex prædicto loco consuetudinum feudalium passim inferri video, a Conrado II. primum filios in feudorum successionem admissos. Qui tamen ita rationes ineunt, ipso loco producto consuetudinum feudalium refelli queant. Eo enim inspecto, alterius vetustioris Principis constitutione filios primi gradus in feudorum successionem admissos fuisse liquet. Putem igitur, ipsum Lotharium I. Ludovico Pio prognatum ad demerendos militum animos in turbidis Imperii rebus ea offa illos illicere studuisse. Eo me adigunt ipsæ consue-

tudines feudales *libr.* 1. *tit.* 19. Inde enim aperte constat, eum ipsum Lotharium feuda in Italia liberis primi gradus deferri jussisse. Ea vero sententia & cum ejusdem Lotharii I. constitutione consonat apud Balutium *capit. tom.* 2. *pag.* 317. *edit. Paris.* & cum iis convenit, quæ narrat Sigonius *de Regn. Ital. libr.* 4. Eo accedit, quod in prædicto loco consuetudinum feudalium id Romæ coram Eugenio per Lotharium constitutum dicitur. Atqui sub Lothario Saxone nullus Pontifex Eugenius est appellatus. Quod enim adnotat ibi Cujacius, pro Eugenio Innocentium legi oportere, codices non addicunt. Superest igitur, ut dicamus, ipsum Lotharium I. liberis primi gradus feudorum successionem detulisse; Conradum vero II. id juris & in primi gradus liberis confirmasse, & ad nepotes etiam extendisse.

V. Quod ad fœminas, ipse feudorum sco-

scopus eas ad successionem admitti non patitur. Nisi igitur secus in investitura sit cautum, feudum ad fœminam redire nequit, & in defectu masculi, qui intra gradus successionis feudalis sit, ad Principem reverti debet *consuet. feud.* 2. 11. Id in feudis ob legem Salicam placuisse passim docent interpretes. Verum non alias mihi innotuit, de lege Salica plura scribi, quam sciri. Lex enim Salica apud Salios Germaniæ populos nil quicquam de feudis cavit, &, quo tempore primum ferebatur, feuda prorsus ignota erant. Lex Salica adhuc extat, eamque præter alios accurate edidit Joannes Georgius Eccardus. Ipse titulus, quo arcentur a successione fœminæ, non de feudo quidem, sed de *alodis* inscribitur *in pact. leg. Salic. tit.*62. Ibi quidem a terra Salica in masculorum concursu jubentur excludi fœminæ. Ita enim edicitur §. 5. *De terra vero*

Salica in mulierem nulla portio hereditatis transit ; sed hoc virilis sexus acquirit , hoc est , filii in ipsa hereditate succedunt. Terra autem Salica erat, quam *curtim* appellavit sequior ætas, &, ut recte vidit idem Eccardus, spatium illud continebat, quod domum ipsam sequebatur. Eum vide *loc. cit.* In eam tantum mares admissi; in eorum defectu tamen, fœminis ipsis deferebatur, ut recte docet Montesquieus *libr.* 18. *tit.* 22. Nescio igitur, quid cum feudis aut lex, aut terra Salica commune habeat. Cum tamen lege Salica mulieres in masculorum concursu e terra Salica arcerentur, inde inter doctores vulgatus error, jure communi legi Salicæ subesse feuda. Ut tamen cum sæculo & ipse loquar, non intercedo, quominus secundum consuetudines feudales feuda, quod ad successionem, quo temperamento diximus, lege Salica regi dicantur.

VI.

VI. Quod ad liberos adoptivos, aut naturales, utrosque a feudorum successione consuetudines feudales expressim arcent *libr. 2. tit. 26.* §. 4. Sed & ibi duriusculum videri queat, quod filii naturales excludi jubentur, licet legitimi efficiantur. Ita enim ibi collector. *Naturales filii, licet legitimi fiant, ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur*. His verbis hærentes doctores haud pauci censuerunt, naturales liberos a successione prorsus arcendos, quoquo modo legitimati fuerint. Contra æquiori temperamento putarunt alii, eum locum ex novis Justiniani legibus interpretationem accipere oportere; de iis igitur intelligendum, qui vel per rescriptum Principis, vel per testamentum legitimi fuerint effecti, non vero de iis, qui per subsequens cum concubina matrimonium legitimi evaserint, & quos æquo jure cum liberis justo matrimonio

procreatis Justinianus censeri jussit *l.10. C. de natur. liber.* Ea vero sententia seu ob patronorum fisci conniventiam, seu potius ob fori æquitatem recepti juris evasit apud Neapolitanos, ac Siculos.

VII. His ita præstitutis, commode disceptari queat, num in feudo de jure Francorum ipsis justis liberis legitimatus sit præferendus, si ea ducatur in matrimonium, quæ ante justas nuptias in concubinatu fuit, postquam fato cesserit intermedii temporis uxor, cum qua justi liberi suscepti fuerint. Ea in re dissidium fecere doctores. Ne multus sim tamen, eorum sententiam ego prætulerim, qui ex concubina susceptum præferendum putant. Feudum scilicet de jure Francorum filio natu majori leges deferri jubent. Quis inter liberos natu sit major, in ipso parentis obitu decerni debet. Atqui, quo tempore pater decedit, ex concubina susceptus legiti-

mus

mus est, & natu major. Quapropter si quid tale timebitur, justa uxor in dotalibus instrumentis cavere debet, ut cum assensu Principis liberis ex se nascituris feudum a marito donetur. Id unum ego eurema repererim, ne inter incertas rerum humanarum vices præjudicium justis liberis inferatur. Vide Camill. de Curt. *resolut. feud. c.*1. *n.* 55. *& sequ.*

VIII. At vero ipsi justi liberi ad feudorum successionem non admittuntur, si vel naturæ defectu, vel jussu legum militare servitium præstare nequeant. Inde intelliges, cur mutus, surdus, cæcus, claudus, vel alio id genus vitio laborans non tantum a feudi successione arceatur, sed ne retinere quidem id possit *consuet. feud.* 2. 36. Tantum æquitas suasit, ut si, feudo ablato, alimenta deficerent, eis relinqueretur, quantum ipsis exhibendis sat esset. Id sane de muto diserte cautum *consuet. feud.* 1. 6.

1. 6. §. 2. Eadem vero æquitas aliis prodeſſe debet, qui ob naturæ defectum militiæ tolerandæ ſint impares. Indidem liquet, cur clericis quoque, vel monachis feudorum ſucceſſio non deferatur *conſuet. feudal.* 2. 30. Quod tamen ibidem additur, id obtinere, *etiamſi habitum, quem aſſumpſerint, poſt poſuerint*, æquius, oportet, interpretemur. Id ſcilicet tandem admitti poterit, ſi res non ſit integra, quo tempore depoſitus fuerit habitus, veluti ſi alius feudalis heres, aut in ejus defectu fiſcus jam ſit nactus poſſeſſionem. Si enim, rebus integris, habitum exempli gratia deponat clericus, recta juris intelligentia eum feudo privari non patitur, ut recte monet Iſernia ad *conſuet. feud. loc. cit.*

IX. Quod ad parentum ſucceſſionem, eam jus feudale commune prorſus ignorat. Id autem ipſius inſtituti feudalis ne-

necessaria veluti consequentia fuit. Nimirum, ut sæpe monuimus, feuda & veluti militiæ stipendium fuerunt olim, & iis concedi solebant, qui pro Principibus prælia fortius depugnassent. Proinde imbelles homines a feudorum successione passim exclusi. Ita per consuetudines feudales a liberorum feudis parentes arceri placuit. Si enim ob strenue in bello gesta feudum filius acquisivisse ponatur, eo obeunte, ea plerumque parentis est ætas, ut sustinendis militiæ muniis sit prorsus impar. Hinc consuetudinum feudalium collector edicit *libr.* 2. *tit.* 50. *successionis feudi talis est natura, quod ascendentes non succedunt, verbi gratia pater filio.* Quid tamen sit in ea re juris in feudo filio refutato per patrem, in tempore disquiremus. Quod igitur ex præsenti rubrica superest, videamus, quatenus per consuetudines feudales in cognatis e latere

feu-

feudorum ſucceſsio producta fuerit.

X. Quod ad feudorum ſucceſsionem in cognatis e latere, primum Conradus Salicus fratribus tantum ſeu germanis, ſeu conſanguineis feuda deferri juſsit. Eo beneficio tamen barones modeſtius uti placuit. Id enim fratribus conceſſum tantum in feudis, quæ a communi parente quæſita forent *conſuet. feud. libr.* 1. *tit.* 1. §. 2. Ipſa Conradi conſtitutio extat apud Cujacium *libr.* 5. *de feud.* Igitur ſi commune jus feudale ſpectes, in feuda ſucceſsio tantum liberis patere poteſt. Nam ipſi fratri ſucceſsio denegatur, ſi in perſona fratris feudum ſit novum, neque ab aliquo communi parente quæſitum *conſuet. feudal. libr.* 1. *tit.* 8. Proinde ita ibi collector. *In alio vero feudo, quod habuit initium tantum a fratre, non ſuccedit unus alteri, niſi hoc fuerit dictum expreſſim, ut alter ſuccedat*. Sed & ante Conradum ipſe

Lo-

Lotharius I. feudi antiqui succesſionem patruo deferri juſsit *consuet. feud.* 1. 19. Ea tamen Lotharii conſtitutio abnormis quidem, & feudorum naturæ contraria videri debet. Proinde & a Conrado abrogata fuit, eique minus abſurdum viſum, ut ad fratres ſuccesſio deferretur.

XI. At vero in conſuetudinibus feudalibus non alia Principum conſtitutio uſquam occurrit, qua in cognatis e latere ſucceſſio fuerit extenſa. Enimvero inter Italiæ Tranſtiberinæ turbas, atque abſentiam Principum audaciores juriſconſulti facti ſuccesſionem in laterali linea latius produxerunt. Ex recepta enim inter eos ſententia primo patrueles admiſsi; deinde & conjuncti reliqui ad ſeptimum *geniculum*, ſeu gradum uſque *consuet. feud. libr.* 1. *tit.* 1. §. 4. Eam vero ſuccesſionem ad ſeptimum uſque gradum Juriſconſultos Italos induxiſſe crediderim abuſos jure civili. Eo enim inſpe-

ſpecto, ad eumdem ferme gradum cognatis in edicto Prætoris bonorum poſſeſsio promiſſa fuit §. 5. *inſtit. de ſucceſſ. cognat.* Eidem ſententiæ Pontifices quoque occaſionem dediſſe videntur, qui ad ſeptimum uſque gradum cognationis intuitu matrimonia ab ipſo decimo ſæculo inhibuerunt, quaſi eo uſque jus cognationis extenderetur. Vid. *ſyntagm. libr.*1. *tit.*10.§.25. Utcumque id fuerit, non ultra ſeptimum gradum ex computatione civili in laterali linea ſucceſſio per conſuetudines feudales olim extendebatur. Sed & tractu temporis non defuerunt, qui cognatos e latere in infinitum admitterent, modo per virilem ſexum a primo acquirente deſcenderent *conſuet. feud.* 12. 31.

XII. Antequam hinc diſcedamus, primo adverti velim, jure communi feudali feudum certo nomini, & familiæ conceſſum intelligi. Hinc neque fratribus

bus uterinis, neque sororum liberis licet virilis sexus successio deferri potest *consuet. feud.* 2. 11. Deinde advertendum etiam, in jure feudali communi nullum privilegium duplicis conjunctionis esse contra regulas juris Romani novissimi *in novell.* 118. *c.* 3. Proinde ex jure communi feudali, in quo feuda tantum Longobardici juris occurrunt, obeunte aliquo, cui germanus, & consanguineus superstes sit frater, inter eos feudum æque dividi oportebit. Si tamen hinc discesseris, aliæ ferme controversiæ e legitima successione pendentes jure civili novissimo definientur. Proinde & in feudis hodie Longobardici juris fratrum defunctorum filii cum fratre superstite in stirpem admitti debent, & ultra fratrum liberos primi gradus non patet repræsentationi locus *d. novell.* 118. *c.* 3.



TITULUS VI.

Παρασκευασις ad successionem ab intestato ex jure Neapolitano, ac Siculo.

SUccessionis ab intestato argumentum aggredimur, eximium quidem momento suo, at quo nil usquam fortasse litigiosius, nec discordibus doctorum sententiis cum in morientium scholarum ambitu, cum in foro magis jactatum. Ea in re vetustissimi juris patrii glossatores seu dolo, seu ignorantia dissidiorum semina primum jecerunt, quæ mox tamen apud majores nostros partim ipsa dissentiendi libidine, partim ob lucri, & partium studia in immensum excrevisse novimus; & vere dixerim, non alio controversiarum genere magis laborare forum. Id inde potissimum factum

exi-

existimarim, quia pragmatici cerebro quisque suo indulgentes lutulentos jurisprudentiæ rivulos plerique sunt consectati, atque ingenuos juris successorii fontes deseruerunt. Piget, eos vitio temporum turrim illam non ascendisse,

Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere.

Duplex in ea libellus, alter jus feudale commune, alter patrium exhibet; *patrio quidem hærendum; de speciebus patrio jure non definitis ex regulis juris communis pronunciandum*. Eo juris successorii fundamento a forensi turba seu neglecto, seu ignorato, dissidiorum immensa illa seges in foro succrevit.

II. Ut autem, quibus decet, prænotionibus, ad jus successorium Neapolitanum, ac Siculum procedamus, prævertendum in primis, quo tempore ex

provinciis Neapolitanis, ac Siculis Nortmannorum Principatus coalescebat, ac feudale regimen in debellatis regionibus ab eis instituebatur, incertum jus successorium in ipsa Italia Transtiberina fuisse. Nil enim ibi per id temporis certi juris præter ea, quæ aut ipsa natura feudorum dictaret, aut paucula illa, quæ per Lotharii I. & Conradi Salici constitutiones præscripta fuerant. Varii igitur in jure feudali successorio mores, & pro diversa cujusque saltem origine diverse fortasse jus dicebatur. Nusquam ea tempestate in Italia feudale Liceum, & doctores, si qui forent, contrariis sententiis confligabantur, ut ipsæ consuetudines feudales insequuto sæculo collectæ passim ostendunt. Sed & si jus certum ea de re apud Italos Transtiberinos fingas, Nortmanni sub novi Principatus auspicia neque inter armorum strepitum mores Transtiberinos in feu-

feudis curabant, neque feudales leges Regum Italiæ, quibus aut hostes, aut suspecti fuerant, in suas provincias inducere satagebant.

III. Exposita rerum facies facile persuadet, saltem ad Robertum Gviscardum usque, qui rebus pacatis primus leges certiores tulit, jus feudale successorium apud Neapolitanos, ac Siculos incertum fuisse, iis exceptis, quæ in celeberrimis illis *defetariorum* libris continebantur, & quorum pleraque ex patriis moribus a Nortmannis Principibus adoptata fuerant. Quin licet a Rogerio leges de feudis scriptæ complures forent, sub eo tamen ad Fridericum II. usque jus feudale successorium apud nos adhuc incertum erat. Si alia deessent, id sat ostendit ejusdem Friderici constitutio *in aliquibus. de success. filior. comit.* Inde enim liquet, per ejus ætatem apud Neapolitanos, ac Siculos in

ipsa liberorum successione jus aut incertum, aut diversum obtinuisse. Eam igitur in re successoria incertitudinem sustulit Fridericus II. præsertim *constit. ut de successionibus. de success. nobil. in feud.* Ea vero utriusque Regni edictum successorium dici queat. Eadem igitur non minus apud Neapolitanos, quam Siculos obtinere debet, modo ne quid posterioribus legibus ipsi derogatum, obrogatumve fuerit. Eam ipsam igitur exhibere hic lubet ex optimo constitutionum codice, quem Venetiis edidit Paulus Cancianus *in barbar. leg. antiqu. ann.* 1781. *tom.* 1. *pag.* 362.

IV. Ita igitur ibi Fridericus. *Ut de successionibus comitum, & baronum, & eorum omnium, qui feuda a nobis in capite tenent, vel ab aliis etiam, nulla omnino in posterum dubietas possit oriri, dilucida constitutione sancimus, feuda tenenti filios, & nepotes, & ex eis*

eis pronepotes, trinepotes, & usque in infinitum ex descendenti linea descendentes, cujuscumque sexus sint, libere, & absolute posse succedere, servata tamen sexus prærogativa, ut mulieri masculus præferatur; nec non majoris ætatis inter eos, qui vivunt in Regno specialiter jure Francorum. Ex collaterali linea venientes, qui sunt soli fratres; ita ego legendum existimarim, eamque lectionem infra firmabo; *sive ex utroque parente, sive ex altero tantum, & sorores in capillo, excluso etiam communi patre superstite, omnino succedunt. Conjugatæ autem, & dotatæ a fratrum successionibus repelluntur. Filii autem fratrum in his, quæ communis patris fuerunt, avi eorum scilicet, idem jus, quod pater eorum, habeant. In acquisitis autem patruo ex largitione nostra, vel quolibet titulo jure suo, nepotes ex fratribus non succedunt. In ulte-*

teriori autem gradu positis, scilicet filiis nepotum ex fratribus, & sequentibus, in his etiam, quæ communis proavi fuerint, successio non defertur. Filiæ autem in capillo post mortem patris in domo manentes majores sorores conjugatas, & dotatas de bonis patris excludunt. Ceterum si de bonis paternis dotatæ non sunt, majores minoribus præferuntur, si Francorum jure vivant. Si autem vivant jure Longobardorum, collatis dotibus, in viriles partes successione divisa, portionem suam conjugata, seu conjugatæ, quæcumque sint, poterunt vindicare. In omnibus autem, in quibus prædiximus, aliquos velut ulteriores gradu sive in communium prædecessorum rebus, sive in acquisitis excludi debere, spem nostræ gratiæ petentibus non negamus: immo ipsos aliis in liberalitate nostra præferre disponimus, si ejusdem feudi ad

nos rationabiliter devoluti simul competitores existant; dummodo a consanguineis tantum nostræ Curiæ offeratur, quantum ab extraneo erit oblatum. Si tamen nos vel in demanio nostro feuda ipsa tenere velimus, vel aliis ex mera liberalitate donare, injuriam nullus sibi fieri existimet, si, quod ad jus nostrum juste devolvitur, vel retineamus nobis, vel aliis, qui a nobis præstolantur beneficia, conferamus.

V. Ita de tota re successoria Fridericus. Plane, & perspicue ibi is juris articulus definitur, neque ad eam legem interpretandam ullo Œipo conjectore est opus. Inde tamen seu dolo, seu imperitia exortæ lites interminabiles, & quibus, quod excusari vix queat, post tot sæculorum molimina forum adhuc ardere cernimus. Proinde ut apte procedat in re tam momentosa disputatio, pro triplici successorum ordine eam

trifariam partiemur. Primo igitur de successione liberorum, deinde parentum, denique cognatorum e latere sermonem instituemus.



TITULUS VII.

De liberorum successione ex jure Neapolitano, ac Siculo.

SÆculo decimo secundo vertente, consuetudines feudales in Italia Transtiberina jam certiores evaserant. Nam & eodem sæculo collectæ jam fuerant, &, si Odofredo fides ad *authent. cassa. C. de sacros. Eccles.* Friderici Ænobarbi auctoritate in Bononiensi Lyceo prælegebantur. Vid. *libr.* 1. *tit.* 1. §. 5. Ita earum certitudo glifcebat in dies, & qualis erat studiosorum frequentia in auditorio Bononiensi, eorum opera

ra in omnia ferme Europæ tribunalia inferebantur. Cum vero ſaltem ſub ſæculi decimi tertii initia ex Regno Neapolitano quoque ad Bononienſe Lyceum legum addiſcendarum cauſa adoleſcentes itarent, inde ii, confectis ſtudiorum ſtipendiis, in patriam reduces in cauſis ſeu judicandis, ſeu defendendis conſuetudinibus feudalibus utebantur. Ita in Regnum Neapolitanum, ac Siculum etiam conſuetudines feudales illatæ. Eæ igitur Petro de Vineis, quo Triboniano uſus eſt Fridericus in ſuo conſtitutionum codice concinnando, ignotæ eſſe non poterant. Id ipſæ Friderici II. coſtitutiones oſtendunt, in quibus juris communis feudalis ingenium, & laciniæ paſſim occurrunt, iis ſubinde additis, quæ ſuaderet aut Principatus ratio, aut populorum utilitas. His initiis factum, ut in patriarum legum defectu apud Neapolitanos, ac Siculos feu-

feudales controversiæ jure communi definiri cœperint. Hæc ego præfanda censui, ut facilius intelligatur, quas regulas in legitima feudorum successione sequutus sit Fridericus.

II. Quod igitur ad liberorum in feuda successionem, edicto suo successorio Fridericus jus feudale commune partim adprobavit, partim etiam ei obrogavit, subrogavitve. Primo, ut supra monitum, liberis in infinitum feuda deferri jussit. Eo respectu igitur jus feudale commune in suis provinciis adprobavit. Eo enim inspecto, feuda omnia & de jure Longobardorum sunt, & liberis æque omnibus deferri debent *feudal. consuet. libr.* 1. *tit.* 1. §. 2. Quatenus vero in feudis eorum, qui jure Francorum uterentur in Regno, filios prætulit natu majores, eo sane respectu juri communi obrogavit. Eo enim inspecto, liberi omnes, qui sexus virilis fue-

fuerint, succedere jubentur aut in capita, aut in stirpes *consuet. feud. loc. cit.* Quid feuda de jure Francorum inter, & Longobardorum intersit, cujus etiam qualitatis in dubio sint æstimanda, exposuimus *libr.* 1. *tit.* 3. §. 13. *&* *sequ.* Quatenus denique in masculorum defectu ad fœminas ipsas feuda redire jussit, eo quoque in articulo juri feudali communi obrogavit. Nam per consuetudines feudales, masculis non extantibus, nisi secus in investitura sit cautum, fœminis feuda deferri nequeunt *consuet. feud. libr.* 1. *tit.* 8. §. 1. At vero ne a feudis Franci juris exclusi filii natu minores turpi laborarent inopia, neu in concursu fratrum exclusæ filiæ illocabiles domi senescerent, utrisque opportune consuluit Fridericus. Quod enim ad filios natu minores, eis a fratre natu majori vitam, & militiam præstari jussit; fœminas vero secundum

pa-

paragium collocari *constit. comitibus* : *de adjutor. pr. milit. fratr. & constit. in aliquibus. de success. fil. comit.* De vita, & militia singulari rubrica infra videbimus. De mulierum paragio vidimus *in jur. Regn. libr. 3. tit.* 8.

III. Porro vulgata fabula apud doctores nostrates est; primum apud nos Fridericum, jure communi abrogato, in masculorum defectu feuda detulisse foeminis; ob politicas autem rationes id eum cavisse, ut scilicet, foeminis ad feudorum successionem admissis, suam quoque causam justiorem redderet horum Regnorum respectu, quae ipsi per Constantiam matrem delata fuerant. Eo passim trahunt, licet invitam, Friderici constitutionem *cum hereditarium. de uxor. non duc. sin. permiss. Cur.* Ibi enim ea de re ne γρυ quidem. Verisimilius ego crediderim, ipsos Nortmannos apud nos rerum potitos ex

pa-

patriis suis moribus primæva Regni lege statuisse, ut in masculorum defectu novus Principatus fœminis deferretur; ipsius autem Principatus exemplo, masculis non extantibus, ad fœminas feuda redirent.

IV. Id ut facilius intelligatur, adverti quidem oportet, veteres Nortmanniæ mores in defectu marium ab ipso Principatu fœminas non exclusisse. Hinc, extincta apud Anglos a Gvilelmo subactos in Henrico I. ejusdem Gvilelmi virili stirpe, Mathildis Henrico prognata non minus in Angliæ Regnum, quam in Nortmanniam successit. Apud Anglos etiam in feuda admissæ fœminæ, si liberi virilis sexus superstites parenti non forent. Quemadmodum igitur Gvilemus apud Anglos legem Salicam, quo modo eam perperam interpretantur, admitti vetuit; id ipsum apud nos morem Gentis suæ sequuti

quuti constituere Nortmanni, & in defectu marium cum in Principatum ipsum, cum in feuda fœminas admitti jusserunt. Sed & in ipso Francorum Regno lex Salica in feudis promiscue non obtinebat. Ita sane a Tholosano comitatu perpetuo exclusæ sunt fœminæ, neutiquam tamen a ducatu Aquitaniæ. Id Aquitaniæ respectu adeo explorati juris est visum, ut Ludovicus VII. *junior* dictitari solitus, cum uxore facto divortio, ei Aquitaniam restituerit. Ceterum licet primæva Nortmannorum lege feuda apud nos fœminis in defectu marium deferri placuisset, vetustissimo Longobardorum jure in aliquibus saltem Regni partibus abusi agnati quidam remotiores parentum & feuda, & allodia filiabus præripiebant. Conf. *jus Regn. libr.* 3. *tit.* 4. §. 2. Eam vero pravam consuetudinem aboleri jussit Fridericus *constit. in aliquibus. de successs.*

cess. filior. comit. & baron. quam & ante tacite proscripserat hac ipsa lege, quam illustrandam suscepimus, ut ex prædicta constitutione liquet.

V. Jam vero in masculis quidem, seu Franci, seu Longobardici juris feuda essent, nil quicquam Fridericus interesse jussit, liberi cœlibes, an mariti forent. Quod ad fœminas tamen, distinguendum edixit, num de feudis Franci, an Longobardici juris controversia esset, & num in patris obitu filiæ jam enupsissent, an adhuc virgines in capillo forent. Si in feuda Longobardici juris succedendum esset, filiabus æque omnibus successionem detulit nullo discrimine, uxoresne, an innuptæ reperirentur, quo tempore decessisset parens. Tantum ex regulis juris seu Longobardici, seu Romani filias matrimonio collocatas dotem conferre jussit, si quam fortasse a parente accepissent.

Enim-

Enimvero in feudis Franci juris filiam natu majorem prætulit Fridericus, si ea in parentis obitu matrimonio collocata non foret. Nam si jam enupsisset, quo tempore decessisset parens, ejusque bonis dotata foret, servato nativitatis ordine, feuda ei detulit, quæ in parentis obitu virgo in capillis esset.

VI. Facile autem definire fuerit, cur in feudo Franci juris filiæ natu majori matrimonio jam collocatæ innuptam natu minorem Fridericus præferri jusserit. Nimirum secundum leges, quæ passim per Europam per id temporis obtinebant, & Fridericus cavit, ne ad familias Principi suspectas feuda per matrimonia redirent. Fieri autem poterat, ut fœmina natu major suspecti hominis uxor esset; ita vero in eum, ejusque liberos feudum cum ipsius periculo transferretur. At vero innupta in feudo prælata, id periculi non imminebat. Nam ex ejusdem

dem Friderici lege feuda quaternata possidens nuptias inire vetabatur, nisi cum electo sponso Princeps connubium adprobasset *constit. honorem nostri diadematis. de uxor. non duc. sin. permiss. Cur.* Vid. *lib.* 1. *tit.* 7. §. 9. *& sequ.* Neque dicas, ejus quoque periculi rationem in feudis de jure Longobardorum haberi oportuisse. Ejusmodi enim feuda ob tot divisiones, quibus in singulis successionibus minutatim discindebantur, in modico suo reditu neque suspectis possessoribus ad novas res moliendas animos addere poterant, neque legis providentiam exposcebant.

VII. His ita constitutis, disceptari queat, num privilegium innuptarum natu minorum in feudis Franci juris hodieque sit observandum. Plerique negant: qui præ reliquis sapere videri volunt, patri saltem concedendum putant, ut in tabulis nuptialibus veluti

additamentum dotis filiæ natu majori feudum ipsum promittere possit, licet ab eo dotem acceperit. Verum sententia isthæc vix adprobare se queat illis, qui privatis conventionibus juri publico derogari non posse norunt. Proinde si filia natu major feudo carere nolit, vel sine dote profectitia debet enubere, vel, dote constituta per patrem, ea cautione est opus, ut cum assensu Principis in instrumentis dotalibus ei feudum promittatur. Alia enim euremata, quæ proponit Camillus de Curte *resolut. feudal. c. 2. n. 86.* omnimodam securitatem filiæ natu majori non præstant.

VIII. Porro alibi advertimus, per Friderici ætatem paucissima apud nos fuisse feuda Franci juris. Proinde in tanta eorum paucitate Fridericus non definivit, num in feudis id genus nepos susceptus per filium natu majorem patruo natu minori in avi obitu præferendus es-

esset. Ea controversia ne in consuetudinibus quidem feudalibus definitur. Jus enim feudale commune feuda Franci juris prorsus ignorat. Ea de re late Cujacius ad *consuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 11. Ibi is totus in eo est, ut sententiam adprobet, quæ patruum præfert. Eam ob rem producit exemplum Roberti Regis; qui licet Caroli II. filius natu minor Clementis V. sententia in Regno Neapolitano prælatus fuit Caroberto Hungarorum Regi Caroli Martelli filio. Is enim inter Caroli liberos major natu fuerat. Verum, ut narrat ipse Cujacius *loc. cit.* idem Robertus in proposita controversia sententiam pro nepote dixit suscepto ex filio natu majori. Clementis vero V. sententia pro Roberto lata politicis potius rationibus excusari debet. Nam recta juris ratio ob subingressionem nepoti favet. Si enim is repræsentat patrem, eum & proximitate gra-
 dus,

dus, & nativitatis ordine repræsentare debet. Hinc recepta totius ferme Europæ sententia est, non minus in feudis de jure Francorum, quam in Regnis ipsis nepotem ex filio natu majori præferri oportere. Sed his omissis, ad parentum successionem nos transferamus.



TITULUS VIII.

De successione parentum.

SUpra advertimus, ipsam feudorum naturam ab initio suasisse, ne feuda ad parentes redirent; eos igitur jus feudale commune a feudis arcere *consuet. feud.* 2. 50. In edicto suo successorio Fridericus ea in re a consuetudinibus feudalibus non recedit. Hinc, si desint defuncto liberi, fratres, &, quod mi-

mireris, sorores potius parenti præfert. Lubet in re celeberrima ipsa Friderici verba rursus hic exhibere. *Ex collaterali linea venientes, qui sunt soli fratres, & sorores in capillo, excluso etiam communi patre superstite, omnino succedunt.* Inspecta igitur Friderici constitutione, si defuncto non supersint alii feudales heredes, patrem, aliosve superioris gradus parentes a feudis fiscus excludit. Parentum autem a feudis exclusio juris adeo explorati Friderico visa, ut ne singulari quidem capite ea de re statuendum censuerit: ita aliud veluti agens ad eos feuda redire vetat. Enimvero ne quis respectu parentum superesset dubitandi locus, generali regula rem expressim definivit *in constit. forjudicatorum. de fisc. succ. forjudic.* Ibi enim generatim edicit, *in feudis ascendentes liberis non succedere.* Eo constitutionis commate nihil neque expressius, neque

clarius. Hinc Marinus de Caramanico optimus plerumque constitutionum interpres ad prædictam constitutionem hæc adlinit. *Si forjudicatus habeat parentes, & non liberos, in feudalibus parentes fiscus excludit.*

II. Quæ hactenus exposuimus, & cum ipsa feudorum natura conveniunt, neque in disceptationem venire posse videbantur. Verum putidus ille inter doctores Isernia, & fisci commodis qua jure, quaque injuria perpetuo infensus ad prædictam constitutionem *forjudicatorum* deliris suis interpretamentis id unice agit, ut fisci causam pessumdet. Nam contra rationem juris, atque expressam Friderici mentem primo avita feuda ab illis distinguenda pronunciat, quæ filius ipse fortasse quæsiverit; in avita autem feuda parentes admittendos edicit. Ea quidem distinctio omnino cerebrosa est, neque in Friderici verbis

præ-

præſidium uſquam invenit. Deinde, quaſi non ſatis ſui ludibrium feudorum diſtinctione ſua commentitia præbuiſſet, in verbis ipſius conſtitutionis veluti pedem figit. In voce autem *aſcendentes* ſubſiſtens, quaſi eò vocabulo mater ipſa non contineatur, in ipſo feudo novo matrem admittit. Si hominem ab inſania excuſare velis, fateri quidem oportet, eum aperte jus calumniari. Sed cum veternoſo homine jurgare piget: aliunde pax mihi cum mortuis. Tantum addere lubet, perperam in Græco codice ſuperioribus annis Regiis typis edito in prædicta conſtitutione legi *ἐν οἷς οἱ ἀνιοντες, και υἱοι διαδοχην ουκ ἐχουσιν*, *in quibus* feudis *aſcendentes*, & *liberi non ſuccedunt*. Nam ſtatim inſequenti titulo forjudicatorum liberis feuda ab eodem Friderico deferri jubentur *conſtit. ſi quando. de pœn. forjudic.* Sed id genus ſphalmata in Grae-

ca constitutionum versione haud infrequenter occurrunt.

III. At nondum hic finis, nequedum Isernia hinc abire me patitur. Is enim ad prædictam Friderici legem, ut in feudis avitis liberis succedere parentes adprobet, provocat ad ejusdem Friderici constitutionem *si quando. de pœn. forjudic.* Urget scilicet, ibi Fridericum edicere, forjudicato quopiam, qui feudum non a Principe, sed a comite, aliove habeat, ad dominum tandem reverti feudum, si liberi, ac parentes forjudicato desint. Inde igitur infert Isernia, parentes etiam in feuda succedere, &, ut tollatur antinomia inter utramque Friderici constitutionem, inter nova, & antiqua feuda discrimen fieri oportere. Sed næ is intelligendo facit, ut nihil intelligat. Ex ea enim Friderici lege id tantum inferre licet, parentes tandem admitti, si feuda a co-

mi-

mite, aliove inferiori domino conceſſa fuerint. Nimirum ea quidem in ſpecie fiſci non adeo intererat, parentes excludi, & duriuſculum Friderico viſum, facinus a barone admiſſum inferioris domini emolumento cedere. Nam proſcriptionis, ſeu forjudicationis pœnæ in fiſci compendia jure publico converti debent. Proinde de jure ſuo remittens contra juris recepti regulas forjudicatorum feuda ad parentes redire jubet. Si hinc diſceſſeris, veteri jure Neapolitano, ac Siculo *retrogradæ*, quam appellant, ſucceſſioni locus in feudis haud patet. Quod tamen ad Regni barones, ii haud ſemel a Philippo IV. petierunt, ut in novum quoque filii feudum ſucceſſio patri pateret, falſo aſſerentes in antiqui feudi ſucceſſionem admitti patrem. A prædicto tandem Principe id conceſſum ea tamen lege, ne feudum patri delatum in filii obitu ad ejus co-

gna-

gnatos e latere redire jus esset. Sic enim in Principis placito *ann.* 1621. *n.* 9. *Placet suæ Regiæ, & Catholicæ Majestati, dummodo feudum non transeat ad collaterales patris.* Sed de eo juris articulo ego plura non addo. Præter quam quod enim id privilegium inter pragmaticas relatum non fuit, disceptatio isthæc neque usu umquam venit, &, ut sunt res hodie, usu vix venire potest.



TITULUS IX.

De successione conjunctorum e latere.

QUod ad successionem cognatorum e latere, Mediolanenses jurisconsulti ultra modum baronum studiis velificati videntur. Sane inter Principum absentiam disputationibus suis eo rem perdu-

duxerunt, ut, quo tempore jus feudale commune colligebatur, recepta consuetudo in Italia Transtiberina foret, feuda in laterali linea ad septimum usque gradum deferri posse. Exemplum haud absimile apud Siculos invenire licet; qui absentia Principis & ipsi abusi ex feudis nescio quæ sibi allodia effinxerunt, & ultra gradus in jure Siculo præstitutos feudalem successionem extendere adlaborarunt. Sed Siculorum ea in re ausus infra castigabimus *tit.* 12. In Italia Transtiberina hic subsistendum. In ea, ut monuimus, cerebrosa sua jurisprudentia doctores in laterali linea ad successionem in feudis produxerunt ad septimum usque gradum, nec defuerunt, qui eam in infinitum extenderent. Per Friderici II. ætatem jam collectæ consuetudines feudales latius in dies per Europam serpebant, eæque Petro de Vineis apud eum libellos agenti ignorari
non

non poterant. Ipsæ consuetudines feudales ostendebant, quanto cum fisci præjudicio in Italiæ Transtiberinæ tribunalibus doctores, ac judices versati forent. Indidem liquebat, non ultra fratres in feudis paternis successionem indulsisse Principes; Lotharii vero constitutionem, qua patruo successio delata fuerat, & contra primævam feudorum naturam esse, & in afflictis Imperatoris rebus eam extorsisse barones; illam igitur numquam in provinciis Neapolitanis, ac Siculis admisisse Nortmannos. Ita Petri de Vineis consiliis uti solitus Fridericus in deferenda feudorum successione cognatis e latere diversas ab jure communi feudali rationes instituit. Explosa igitur Transtiberina consuetudine, qua ad septimum usque gradum conjunctis e latere feuda deferebantur, in edicto suo successorio rem ferme redegit intra limites in constitutio-

ne

ne Conradi II. præstitutos. Vide, quæ ea de re supra præcepimus *libr.* 2. *tit.* 5. Sed lubet veluti in rem præsentem venire, & ipsa Friderici verba de successione cognatorum e latere iterum hic exhibere. Quoniam vero in vulgatis codicibus ea corruptissima prostant, adjumento Græci codicis Regiis typis edito ea ita & legerim, & interpunxerim.

II. De successione igitur cognatorum e latere ita in edicto suo Fridericus. *Ex collaterali linea venientes, qui sunt soli fratres, sive ex utroque parente, sive ex altero tantum, & sorores in capillo, excluso etiam communi patre, omnino succedunt*. Perperam Latini codices *ut fratres* exhibent. Si enim *ut fratres* retineas, sententia legis non constabit. In præsenti linea scilicet neque cognatos quoscumque, neque certos gradus Fridericus admittit, sed certas tantum personas. Si *ut fratres* in costitutionem

in-

intrudas, videri possit, cognatos omnes admitti, & tantum exempli gratia memorari fratres. Rectius igitur, & ad Friderici mentem legem ita exhibet Graecus interpres. Ex πλαγιȣ προιοντες οἱ εισιν οιοι αδελφοι. Nihil hic a me additum, nisi ὑστερον προτερον restitutum. Neque enim dubito, quin aliud agens Graecus excriptor sententiam legis turbando οιοι praeposuerit. Ita vero contra rationem juris totam constitutionis sententiam corrupit. Vides igitur, ex laterali linea Fridericum, nulla gradus mentione injecta, fratribus, ac sororibus tantum successionem deferre; mox & fratrum filiis; praeterea nemini. Proinde somniantes hic vigilant doctores haud pauci, qui hic gradus garriunt; inde vero argumento desumpto, exemplo fratris filii patruum in eodem gradu constitutum admittendum blaterant. Sed taedet ineptiarum. Valeat hic Afflictus

cum

cum Isernia suo ad *constit. ut de successionibus. n.* 41.

III. Antequam reliqua constitutionis Fridericianæ scita proponamus, nostram hic sententiam dicamus, oportet, de veteri illa controversia non minus in foro, quem scholis agitari solita, num scilicet, inspecta Friderici lege, frater, ac soror sint admittendi in feuda non tantum avita, paterna, sed in nova quoque, & quæ ab ipso defuncto primum quæsita fuerint. Doctores Iserniæ servum pecus post eum communibus ferme suffragiis statuerunt, fratres, sorores in feuda omne genus per Friderici constitutionem admitti. Non alibi ego vidi Sardos æque venales, alios aliis nequiores. Rectius Marinus de Caramanico fratres, sorores tandem admittit, si de feudis paternis, aut avitis sit controversia. Perperam igitur scribit Franciscus de Andr. *in disput. an fratr. in feud.*

suc-

ſucced. ea de re Caramanicum dubitaſſe ?
Is enim aperte ſcribit *in. voc. jure ſuo* quod de fratris filio in conſtitutione Fridericus dixit, idem in fratre, ſorore intelligendum. Ea vero ſententia apprime convenit cum Friderici mente, qui id unice egit, ut intra Conradi II. legem feudalem ſucceſſionem redigeret. Per Conradi autem conſtitutionem, & ipſas conſuetudines feudales fratres tandem admittebantur, ſi feudum a communi parente profectum eſſet. Id non expreſſit Fridericus, quia aperte definita res fuerat *conſuet. feud. libr.* 1. *tit.* 1. §.2. & *libr.* 1. *tit.* 19. Neque regeras, in eadem conſtitutione mox Fridericum in fratrum filiis id expreſſim juſſiſſe. Nam in fratrum filiis id ab eo factum, quia primus contra Conradi legem eis feuda deferri juſſerat. Ab eo igitur & expreſſum oportuit, quem vellet eorum reſpectu modum eſſe beneficii ſui, & qua lege con-

concessum id foret. Sed ea in re sub Andegavensibus ulterius processerunt fisci patroni. Si enim *pro se, & heredibus ex corpore* facta fuisset investitura, in ipsis feudis antiquis, & a communi parente profectis a successione fratres arcendos ajebant. Id ipsis in mentem venit, quia in successionis causa satis esse non videbatur, ut successor primo feudi quæsitore prognatus esset, nisi & ab eo ipso descenderet, de cujus successione ageretur. Is tamen patronorum fisci conatus non minus rationi juris, quam æquitati contrarius videbatur. Hinc *iniquæ interpretationis abusum* eum appellat Carolus II. *in capit. considerantes*. Is igitur, rejecto eo fisci molimine, quæquæ foret investituræ formula, feudi saltem antiqui, & a communi parente profecti qua fratribus, qua sororibus successionem deferri jussit, eo tantum addito, ut in dubio feu-

dum censeretur de jure Francorum *d. capit. considerantes*. In eo autem dubio id ipsum apud Siculos obtinere debet ex Regis Alfonsi *capit.* 456. Apud Siculos quoque fratri, ejusque liberis feudum deferetur, licet *pro se, & heredibus ex corpore descendentibus* concessio facta dicatur ob Friderici *capit. constitutionem*. 30. Miror autem Pernum adversus Siculorum commoda censuisse, in prædicta investituræ formula fratri, ejusve liberis fiscum præferri oportere *consil.* 22. Nil medium est; est, ubi dextrorsum, est, ubi sinistrorsum is errat.

IV. Nondum ex proposito Friderici loco doctores abire me sinunt. Acerrime enim per eos disceptatum invenio, num ex uno latere conjuncti fratres, sorores ad successionem sint admittendi, si ex eo latere profectum feudum haud fuerit, unde vinculum cognationis oritur. Præsens autem disputatio intra feu-

da antiqua coerceri debet. Explorati enim juris in Regno Neapolitano est hodie, fratribus, ac fororibus uno ex latere defuncto conjunctis, eorumque filiis feudi fuccessionem deferri, quomodocumque quæsitum id fuerit, aut quæcumque fuerit investituræ formula: quamvis igitur *pro heredibus ex corpore* concessio facta dicatur *pragm.* 29. *&* 39. *de feud.* Quod autem ad antiqua feuda, in eo juris articulo fisci causam scite peroravit vir clarissimus Franciscus de Andreys *in disput. an fratr. in feud. nostr. Regn. succed. cum fratr. deced. non sunt conjunct. ex eo later. und. ea obven.* Fisci tamen patrocinium ipsi demandatum rationes ejus suspectas imperitis fortasse reddet. Verum, semoto partium studio, asserere tuto licet, fratribus, sororibus apud nos feudi successionem tandem patere, si ex eo latere conjuncti defuncto fuerint, unde feu-

 dum

dum obvenerit. Alibi nimirum advertimus, controversias patrio jure non definitas jure feudali communi definiri oportere. In eo autem aperte decernitur, fratres ad successionem tandem admitti, si a communi parente profectum sit feudum *consuet. feud.* 2. 11. Sic enim ibi. *His vero deficientibus, vocantur primo fratres cum fratrum præmortuorum filiis; deinde agnati ulteriores, quod ita intelligendum est, si feudum sit paternum, hoc est, si fuit illius parentis, qui ejus fuit agnationis communis.* Eo accedit, quod in constitutione sua Fridericus eo collineat, ut successionem feudalem in conjunctis e latere potius coerceat, quam extendat. Atqui, ut vidimus, per consuetudines feudales feuda extra agnationem deferri vetantur; ipse autem frater excluditur, si primo acquirente & ipse prognatus haud fuerit.

V. At

V. At vero quod ea in re decretorium videri debet, veteres Neapolitani doctores prædictum constitutionis Fridericianæ locum ita passim sunt interpretati, ut a successione fratres, ac sorores excluderent, si ex latere feudi defuncto conjuncti non forent. Eorum agmen hic ducat Marinus de Caramanico, qui aut sub eodem Friderico vixit, aut parum absfuit ab ejus ætate. Sane ostendit Franciscus de Andreys *in d. disput. c.* 1. §. 1. eum Bononiæ aut Azonem, aut certe Accursium audivisse, qui Friderici fuerunt æquales. Is igitur constitutionis sententiam ignorare non potuit. Sic autem Caramanicus infit ad *d. constit. in voc. ex altero tantum. Sane intellige, licet multi dicant contrarium, quando feudum, de cujus successione agitur, pervenit defuncto ex eo parente, ex quo iste frater superstes conjunctus est, & hoc declaratur aperte in-*

fra, *ubi dicit*, *filii autem fratrum in his*, *quæ communis patris fuerunt*, *idem jus*, *quod pater eorum*, *habeant*. Turmatim Caramanicum sunt sequuti vetustiores Regni feudistæ Lucas de Penna, Matthæus de Afflictis, & ipse Bartholomæus Camerarius, quamdiu mentis integer fuit, nequedum ita se comparaverat, ut fisco bellum indiceret. Auctor quidem contrariæ sententiæ Isernia celebratur. Quod tamen mireris, & in Caramanici sententiam is concessit, quamdiu sub Carolo II. vixit. Sic enim is scripsit ad rubricam *de natur. success. feud. collaterales non succedunt*, *quando non est feudum quæsitum per illum*, *qui fuit agnationis communis*. Aliam tandem sententiam is est amplexus, cum hanc constitutionem commentandam suscepit in Regis Roberti odium, qui Bartholomæum de Capua ei prætulit: quæ quidem causa fuit,

fuit, cur opinionum fisco adversantium tuendarum cupido eum incesserit. Sed, quod mireris, & ipse Andreas Isernia, quamdiu infestus fisco non fuit, Caramanici sententiae non tantum subscripsit, sed & eam *communem peritorum Regni* appellavit ad *tit. de natur. success. feud.*

VI. Per eam igitur tempestatem juxta Caramanici sententiam judicatum oportuit. Ea vero de re nos dubitare non sinunt capitula Honorii IV. Pontificis, quae Caroli I. & II. precibus interpellatus is Regno Neapolitano novo quidem exemplo scripsit; licet in Regnum redux Carolus II. eorum observantiam prohibuerit, comperto, fisci rationibus adversari. Praeter alia scilicet per id temporis a Pontifice petiere barones, ut jus succedendi in feuda latius produceretur; id in aliis a Pontifice factum. Verum cum in praesenti juris articulo

desideriorum absurditatem is nosset, ad fratres ex uno latere defuncto conjunctos feuda tandem redire jussit, si ea a parente communi profecta forent *capit. si aliquem*. His ita se habentibus, fisci causam prodiderunt ejus patroni, qui in ejusmodi controversiis seu in pretii semissem, seu in trientem transactionem inivere cum fratribus, qui ex latere feudi defuncto conjuncti non forent.

VII. Porro, sororibus contra feudorum institutum ad successionem admissis, novum beneficium suum ita in constitutione sua coercuit Fridericus. *Conjugatæ autem, & dotatæ a fratrum successionibus repelluntur*. Eorum verborum sententia per se patet, neque in ipsis interpretandis enixius laborandum. Ibi scilicet Fridericus sorores ipsas matrimonio collocatas a successione jubet arceri, si dos ipsis constituta foret. Ea igitur in specie feudum ad fiscum re-

redire oporteret, nullo discrimine seu a fratre ipso, seu a patre constituta dos fuerit; nullo quoque discrimine seu Longobardici, seu Franci juris sit feudum. Verba enim legis infinita sunt, neque ullum eis modum Fridericus apponit. Tantum recte monuit Marinus Caramanicus ad *d. constit. voc. dotatæ* a successione sororem non excludendam, si non a patre quidem, aut fratre, sed ab alio quopiam dotem acceperit. Enimvero alias ea in re rationes instituit Andreas Isernia. Is enim, ut, quo posset modo, ea in re quoque fisci commodis adversaretur, cum alibi, cum ad *d. constit. in voc. conjugatæ* ex cerebro suo pronunciavit, ad excludendam a successione sororem dotem accipere oportere ex bonis ejus, de cujus hereditate agitur.

VIII. His igitur initiis celebris illa inter doctores enata quæstio, num in feudo

feudo quocumque, ut arceretur a successione soror, a patre dotem accepisse sufficeret, an ex bonis ipsius fratris eam accipere oporteret. Ea vero disceptatio ad Joannam II. usque intra scholarum ambitum ferme substitit, aut saltem certa lege definita non fuit. Per id temporis tamen casum fortuna obtulit, ob quem de ea controversia generali lege cautum oportuit. Per eam scilicet tempestatem Abellinatium comitatus penes Jacobum Nicolaum Philangerium erat. Is, quatuor filiis masculis superstitibus, in supremis tabulis filiæ suæ Catharinæ octingentas uncias prælegavit; ea vero cum dote cum Serjano Caracciolo, magna illa tristium, ac lætorum imagine, in matrimonium collocata fuit. Nuptiis ita initis, Catharinæ fratres brevi temporis intervallo seu fato, seu quæsita morte decesserunt omnes. Quod igitur ad Abellinatium comitatum, statim

exor-

exorta lis fuit inter Catharinam ipsam, patruum ejus natu majorem, & fiscum. Per eam ætatem præter Friderici constitutionem non alia lex successoria lata fuerat. Proinde si ex Friderici lege judicata res foret, potior fisci causa futura erat. Patruus enim per Friderici constitutionem excludebatur. Catharina, utpote conjugata, & dotata, admitti non poterat. Verum Joanna, ut gratificaretur Serjano suo, per judices delegatos de lite pronunciari jussit. Hi voluntati fortasse Reginæ inservientes omnem moverunt lapidem, ut Serjani uxori lis addiceretur. Ei, ut vidimus, ex bonis patris constituta dos fuerat. Proinde eam in rem dati judices cum Isernia discrimen statuerunt inter feuda Longobardici, & Franci juris; hujusmodi Abellinatium comitatus erat. In feudis Longobardici juris arcendam censuerunt a fratris successione sororem,

seu

ſeu patris, ſeu fratris bonis dotata foret; in feudis Franci juris ex bonis ipſius fratris dotem accipere oportere, ut a ſucceſſione per fiſcum poſſet excludi. Ne autem tam abſurda ſententia in Serjani gratiam lata videretur, generali lege in omnibus id genus controverſiis hoc ipſum obtinere placuit *pragm.* 1. *de feud.*

IX. At vero ex novis Regni Neapolitani legibus, ut latius oſtendemus inſequenti titulo, prædictæ pragmaticæ beneficio ſorores *dotatæ*, *&* *conjugatæ* non egent, ut fratribus apud nos hodie ſuccedant. Eidem tamen locus in Sicilia patere non poteſt. Dubium igitur videri queat, an apud Siculos hodie matrimonio collocata, & dotata ſoror ad fratris ſucceſſionem ſit admittenda. De ea controverſia poſt Friderici conſtitutionem nulla apud Siculos lex lata fuit. Nam capitulum quidem *ſi ali-*

aliquem Jacobi Regis ad eam speciem extendi non potest, ut latius ostendemus infra *tit.* 11. De proposita igitur specie ex Friderici constitutione decerni debet. Inspecta Friderici constitutione, ostendisse videmur, sororem matrimonio collocatam, seu a patre, seu a fratre dotem acceperit, sine feudorum discrimine per fiscum excludi. Et hodie igitur apud Siculos ab ea lege recedi non debet, donec ejus severitatem novum Principis beneficium non remittat.

X. Quæ in Friderici constitutione sequuntur, meridiana luce sunt clariora, neque opera egent interpretis. Nimirum fratrum filiis defertur successio, si ab avo profectum sit feudum. Proinde veluti per consequentiam additur, in feuda a patruo primum quæsita fratris filios non admitti: excluduntur cognati reliqui in gradu remotiori positi. Sed

Sed ipsa constitutionis verba lubet hic exhibere. Ita igitur ibi Fridericus. *Filii autem fratrum his, quæ communis patris fuerunt, avi eorum scilicet, idem jus, quod pater eorum habeant. In acquisitis autem patruo ex largitione nostra, vel quolibet titulo jure suo, nepotes ex fratribus non succedunt. In ulteriori autem gradu positis, scilicet filiis nepotum ex fratribus, & sequentibus in his etiam, quæ communis proavi fuerunt, successio non defertur.* Cum in postremis constitutionis verbis, injecta mentione *gradus*, reliquos ulteriores cognatos Fridericus excludat, inde occasionem Isernia inferendi arripit, ea in lege cognatos ob gradus tantum proximitatem admitti. Ita rem eo deducit, quasi & sororum filios, & patruum, & amitam fisco præferri oporteat *in gloss. idem jus. voc. filii autem fratr.* Quidni & materteram, & avunculum, qui eodem

dem cognationis gradu devinciuntur? Videsis, quæso, quot in jure feudali monstra ex Isserniæ hypothesi enascantur, & quo hominem abripuit bilis adversus Robertum evomendæ ardor;

Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

Infelix sensu communi se abdicat, modo legem calumniando infestum fisco se præstet. In laterali linea Fridericus in feudis antiquis tantum fratribus, eorumque filiis, sororibus etiam, si cum dote in matrimonium collocatæ non fuerint, successionem deferri jubet. Reliquos cognatos in gradu remotiori positos admitti vetat. Gradus mentio postremo injecta hominem transversum agit; ita gradatim sursum ascendit, ac, inter patruum, fratrumque filios tribus compertis cognationis gradibus, vim apertam infert ὁριστικοῖς, seu definitivis Friderici verbis. Hinc a fratrum filiis in

in tertio gradu positis effingit e cerebro suo regulam, cognatis omnibus in tertio gradu constitutis successionem patere oportere; igitur non patruo tantum, sed & amitæ, & sororum filiis. Nisi αμουσος fuisset, ei illud occinerem,

Aut insanit homo, aut versus facit.

Quod enim ad feudalem successionem, monstra loquitur poetarum in morem. Monstrosum enim in jure feudali est, ut patruo, amitae, sororumve filiis feuda deferantur. Patruo quidem Lotharius I. successionem detulerat. At, ejus rei comperta obsurditate, Conradus II. in laterali linea excluso patruo, fratri potius successionem deferri jussit, ejusque ipsa constitutio extat apud Cujacium *feud. libr.* 5. Sed res suas hic sibi habeant Transtiberini Itali; nos in Friderici constitutione versamur. Ibi ὁριστικῶς Fridericus ex laterali linea tantum

tum fratres, eorumque filios, ac sorores admittit. In earum personarum admissione nusquam gradus injecta mentio. Proinde recte Caramanicus optimus plerumque constitutionum interpres adnotat, ibi personas, non gradus enumerari; præter personas igitur expressim admissas reliquos cognatos licet eodem in gradu positos generatim excludi *in gloss. non succedunt*. At saltem æquitas, inquies, suadet, ut sororum filii in constitutione admissi intelligantur. Audio; sed de feudis, non vero allodiis est controversia. Ipsum autem feudorum institutum Friderico suasit, ne ea ad filios sororum redirent. Nimirum feudum concedendo Princeps certæ agnationis, ac familiæ sibi fidelitatem eligit. Cum succedit soror, saltem in ingressu feudum non migrat extra familiam; ad eam semel delato feudo, liberos licet alienæ agnationis na-

turali æquitate admittendos censuit Fridericus, cum nil magis naturæ conveniat, quam filiis deferri parentum hereditatem. Enimvero si sororum filiis feuda deferantur, in ipso ingressu contra concedentis mentem statim extra familiam transferrentur.

XI. Ut me colligam igitur, primo ajo, primordialem feudorum legem apud Neapolitanos, ac Siculos in præsenti Friderici constitutione proponi; ea ipsa igitur controversas species, quæ novis legibus aliter definitæ non fuerint, decidi oportere; eo Friderici edicto ad successionem admitti liberos in infinitum; in laterali linea tantum ad fratres, eorumque filios, ac sorores feuda redire pone; parentes prorsus excludi; ibidem certas tantum personas ex laterali linea, non gradus admitti; filios igitur sororum excludi, cum eorum nusquam meminerit Fridericus; multo minus admis-

missos intelligi patruos, aut amitas, cum successionem vere, vel quasi retrogradam feudorum ipsum institutum sua sponte respuat. Enimvero novis baronum privilegiis apud nos hodie amitis, patruis, atque ipsis sororum filiis feuda deferuntur. Apud Siculos tamen eorum respectu Fridericianæ constitutioni nullis hactenus novis legibus est obrogatum. Apud eos igitur adhuc Friderici constitutio obtinere debet, neque in Sicilia patruis, amitis, sororumve filiis successio patere potest. Capitulum vero *si aliquem* nil quicquam ea in re innovasse, in tempore ostendemus *tit.* 11.



TITULUS X.

De novis privilegiis successoriis baronibus Neapolitanis concessis.

DE se male, de Civitate pessime meruere Principes, qui primum perpetuitatem indidere feudis, atque ea liberis, aliisve cognatis deferri jusserunt. Ubi enim id factum, cum plerumque fortes fortibus non creentur, feuda tamquam militiæ stipendium ab initio instituta ad imbelles homines redire cœperunt. Ita vero feudali militia in dies debilitata, alendi militis mercenarii consilium susceptum oportuit. Inde factum, ut militiæ tolerandæ feudorum reditus ab initio addicti otiosorum hominum luxui sustinendo paulatim cesserint; necessitas vero sua-

se-

ſerit, ut ad copias bello utiliores ſibi parandas nova vectigalia, ac ſuperindicta Principes inſtituerent. Quod enim adhoæ nomine per barones domi deſides in fiſcum inferebatur, ſpecierum pretio in immenſum aucto, militibus exhibendis ſufficere quidem haud poterat. Ita & Principum, & Civitatis rationes expoſcunt, ut, quoad fieri poſſit, ad fiſcum feuda revertantur, ut, publico patrimonio aucto, vires Civitatis augeſcant, ac novis tributis populi non atterantur. Sane ita ego rationes inierim, ut ſunt res hodie, feudorum regreſſum ad fiſcum unicum ejus munimentum eſſe, neque aliunde tot publicorum onerum levamentum expectari poſſe. Neque eſt, cur eam ob rem querantur barones, cum per ejuſmodi reverſionem publicum patrimonium, ſeu feuda ipſa in primævam cauſam revertantur.

II. Advocata igitur in consilium ratione, sua sponte liquet, optime & populis, & Civitati consulere Principes, qui id cavent, ut feudorum successio intra legum limites coerceatur, neque per aliorum versutiam ad eos redeant, quibus ea deferri leges non patiuntur. Atque ea quidem in re felicissimi Ferdinandi providentia maxime commendanda, qui populis beandis intentius incumbens feudorum ad fiscum regressum in Sicilia ferme intermortuum intra legum præscripta restituendum curavit. Sed isthæc privato homini palam mutire periculosum. Proinde, quod huc pertinet, videamus, quatenus in Regno Neapolitano novis baronum privilegiis Friderici constitutioni sit obrogatum, & quatenus feudalis successio producta fuerit.

III. Inspecta, ut supra vidimus, Friderici lege, ad liberos quidem in infini-

tum

tum feuda redibant; quod ad cognatos tamen e latere, jus fucceffionis arctius coercebatur. Feuda enim tantum fratribus, eorumve filiis, ac fororibus deferri poterant: in eorum defectu fifco deferebantur. Id ipfa ratio Principatus Friderico fuafit, ut, quoad fieri poffet, cum publico patrimonio, unde primum decerpta fuerant, feuda confolidarentur. Ceterum ad Andegavenfes delato rerum arbitrio, ii quidem fifci compendiis apprime ftudentes Friderici conftitutionem in re fucceffòria religiofe fervarunt. Tantum Joanna II. aliquid de jure fifci remifit, cum ad fororem de bonis patris dotatam in fratris obitu feudum de jure Francorum redire juffit *prægm. 1. de feud.* Enimvero rerum apud nos potitus Ferdinandus Catholicus, atque, ab eo per manus accepto Regno, Auftriaci Principes fifci caufam ipfimet prodiderunt. Ii

enim, seu ad baronum studia demerenda, seu ut pecuniam in rebus angustis corraderent, non solum ad alias personas per Friderici constitutionem exclusas feuda redire jusserunt; sed &, quod perniciosissimum fisco fuit, cognatis etiam in quarto cognationis gradu constitutis eorum detulerunt successionem. Id ipsum igitur ad jus novissimum intelligendum hic enarrabimus.

IV. In præsenti autem argumento illud magni quidem in Regno usus hic adverti velim, in privilegiis scilicet baronum interpretandis non ipsos supplices eorum libellos spectari oportere. Ii enim in precibus Principi offerendis dolo seu bono, seu malo sæpiuscule complura asserunt seu falsa, seu saltem in jure controverso posita. Cum igitur ad Principem ipsum pertineat statuere, quem velit esse beneficii sui modum, si quid aut falsum, aut

aut diſceptatum inter doctores poſitum in precibus offerendis fuerit, ad jus conſtituendum id fruſtra per barones urgebitur; privilegium vero interpretationem debet accipere aut ab expreſſa conceſſione Principis, aut ex jure, quod ante privilegii conceſſionem conſtitutum erat. Ita quidem in ſupplicibus baronum libellis in novo aliquo privilegio poſtulando haud ſemel aſſeritur, perſonas exempli gratia in tertio, aut quarto cognationis gradu poſitas ad feudorum ſucceſſionem admitti; ſi deſideriis Princeps indulgeat, ac privilegium poſtulatum concedat, inde non debet inferri, Principem aut conceſſiſſe, aut vera agnoviſſe, quæ aut falſa, aut controverſa a baronibus fuerint aſſerta. Si quæ igitur tertii, aut quarti gradus perſonæ per leges a ſucceſſione arceantur, barones ex falſis libellorum aſſertis jus ſuum adprobare nequeunt.

V.

V. Porro primus inter Neapolitanos Principes non minus veteri Neapolitano juri, quam consuetudinibus feudalibus, quod ad successionem, obrogavit Ferdinandus Catholicus. Is enim baronibus indulsit, ut, fratris filio obeunte, feudum patruo deferretur *prag. 6. de feud.* Dubium tamen videri queat, num ad feudum tantum antiquum, & a communi parente profectum, an ad novum quoque patruum Ferdinandus admiserit, & quod seu a fratre, seu fratris filio quæsitum fortasse fuerit. Sane si proposita controversia ad juris feudalis regulas exigatur, exploratum videtur, feudum tantum antiquum Ferdinandum ad patruum redire jussisse. Ea in re palmarium pro fisco est, per id temporis ex Friderici constitutione ipsum fratrem ad feudi novi successionem admitti non potuisse. Quis igitur sibi persuaserit, ad novum feudum Ferdinan-

nandum admisisse patruum, unde ipse frater excludebatur? In prædicta quidem pragmatica sexta *de feud.* novi feudi fit mentio. Quæ ibi tamen adsuuntur adjuncta, satis evincunt, feudum, quod ibi patruo deferri petitur, a communi parente fuisse quæsitum. Ibi enim ponitur, primo feudi quæsitore mortuo, majorem natu filium successisse, ei nepotem; nepote sine liberis decedente, patruum admitti rogant. Novum igitur respectu primi quæsitoris feudum ibi dicitur; nam respectu patrui jam antiquum evaserat. Conf. Montan. *de regal.* §. *fin.* *n.* 20.

VI. At vero his quidem initiis abnormis illa successio, quam *quasi retrogradam* appellare licet, in jus Neapolitanum irrepsit. Id autem privilegii monstrum feudorum naturæ contrarium patruo tantum per Ferdinandum fuerat indultum. Falso igitur asserebant barones, personis

nis omnibus in tertio positis cognationis gradu Regis Catholici beneficio feuda fuisse delata *in pragm. 12. de feud.* Ea positione tamen fiducia baronum aucta. Ita Carolo V. Ferdinandi nepote precibus adito, id quoque exorarunt, ut in defectu patrui ad amitam feuda redirent *d. pragm. 12. de feud.* At vero in eo beneficio concedendo Principes neque, quod asseruere barones, omnibus in tertio cognationis gradu positis id concesserunt, atque ex linea quasi retrograda patruum tantum, & amitam ad successionem vocarunt *d. pragm. 6. & 12. de feud.* Hinc in eadem pragmatica baronum petitionem ita coercet Carolus V. *Placet, ut concessio, & gratia Regis Catholici servetur, & insuper declarat, ut in omni casu, quo patruus comprehenderetur, amita etiam intelligatur comprehensa.* Perperam igitur, a patruo, & amita argumento petito,

tito, quis inferat, reliquos etiam in tertio gradu pofitos, avunculum fcilicet, & materteram, ad fucceffionem admitti. In prædictis enim pragmaticis nufquam in Principum refcriptis gradus mentio injicitur, neque omnes admitti jubentur, qui parentum loco dicuntur efse, fed patruo tantum, & amitæ jus fuccedendi conceditur.

VII. At nondum privilegiorum hic finis. Ut enim facile eft, legum tranfilire limites, ubi earum femel remiffus fit rigor, fub eodem Carolo V. audentiores barones facti alieniora adhuc a patrio jure privilegia extorquere cœptarunt. Eo enim novis precibus interpellato, in fuo libello fupplici expofuerunt, per confuetudines feudales ad feptimum ufque agnationis gradum feudalem fucceffionem excurrere; ita ab eo poftularunt, ut faltem ad quartum ufque cognationis gradum fucceffio extenderetur.

tur. Ea petitio altius quidem spectabat, ac, si infinite concessa foret, maximum inde detrimentum in fiscum rediturum erat. Mediam igitur ea in re viam Princeps ingressus precibus quidem indulsit, indulgentiæ suæ tamen modum adjecit. Neque enim generatim intra quartum gradum successionem deferri jussit, sed in rescripto suo baronum desideria ita coercuit *pragm.* 12. *de feud. Placet, ut extendatur ad fratres patrueles masculos provenientes, & descendentes per lineam masculinam a primo domino, & stipite feudi*. Advertens vero, quantum inde fiscus detrimenti caperet, se numquam passus est exorari, ut ipse patruelis sorori patrueli succederet, licet primo feudi quæsitore uterque prognati forent *d. pragm.* 12. & *pragm.* 11. *de feud.* Inspectis igitur Caroli V. legibus, in quarto cognationis gradu cognati positi ex æquali.

li linea jus mutuæ succeſſionis haud habent, niſi defunctus, & ſucceſſor ſint maſculi, & per maſculos a primo feudi quæſitore deſcendant. Neque tamen hic ſubſtitit Neapolitanorum Principum liberalitas. Nam precibus aditus per Barones Philippus IV. anno 1655. eis indulſit, ut cognatis intra quartum gradum pateret feudorum ſucceſſio, licet neque maſculi forent, & per fœminas ſuſcepti eſſent *pragm.* 34. *de feud.* Proinde apud nos hodie & patrueles patruelibus, aut ſobrinis, & invicem inter ſe ſobrini, & ſobrini patruelibus, & patrueles ſobrinis in feudis ſuccedunt, modo ex eo latere defunctum contingant, unde feudum promanarit *d. pragm.* 34. *de feud.*

VIII. His ita conſtitutis, nodus hic occurrit interprete dignus, & unde momentoſæ in foro controverſiæ enaſci queant. Nimirum, ut vidimus, contra

tra præſcriptum *pragm.12. de feud.* novis baronum privilegiis apud nos hodie & patrueles ſobrinis, & ſobrini non minus inter ſe invicem, quam patruelibus ipſis ſuccedunt. Patrueles, & ſobrini in quarto cognationis ſunt gradu. At & patruus magnus, & amita magna in eodem ſunt gradu poſiti. Proinde diſceptari queat, num in patruelium, ſobrinorumve defectu amitæ, ac patruo magno feudum deferatur, an, iis excluſis, ad fiſcum redire debeat. Qui pragmaticæ 34. *de feud.* verbis hærent, explorati juris exiſtimant, ea quidem in ſpecie amitam, ac patruum magnum fiſco præferri oportere. Verum qui ita rationes ineunt, ipſius pragmaticæ ſententiam aut non intelligunt, aut intelligere videri nolunt. Ea lex ſcilicet temperamentum privilegii continet, quod in eodem quarto gradu a Carolo V. pridem conceſſum fuerat *in*

pragm.

pragm. 12. *eod.* Nam & ibi barones ad quartum usque gradum successionem extendi petunt, neque per id temporis iis veniebat in mentem, ut ad amitam, & patruum magnum successio produceretur: nam ægre impetraverant, ut ad patruum, & amitam feuda redirent. Ita & barones, & Princeps probe intelligebant, in cognatis quarti gradus in æquali laterali linea versari preces. Neque ibi tamen Carolus V. baronum petitionem generatim admittit. Nam, ut supra vidimus, in quarto ejus lineæ gradu successionem indulget, si & defunctus, & successores æque masculi forent, & per masculos suscepti essent. In dicta igitur *pragm.* 34. *eod.* ejus rei temperamentum postulavere barones. Proinde abrogata *pragm.* 12. *de feud.* eis tantum concessum, ut omnes ex æquali laterali linea in quarto positi cognationis gradu succederent nullo discrimine

masculi essent, an fœminæ, seu fœminis, seu masculis prognati forent, modo per lineam defunctum contingerent, unde feudum ipsum profectum dicetetur.

IX. Hactenus exposita satis evincunt, amitam, patruum magnum, licet cum patruelibus, sobrinis in eodem cognationis sint gradu, prorsus exclusos videri *pragm.* 34. *de feud.* Lubet tamen & aliam inire viam, qua eodem perveniatur. Nimirum in prædicta pragmatica ad quartum usque gradum successio jubetur extendi ea quidem lege, *ut, quod circa successionem feudorum observabatur usque ad tertium gradum, & observari debeat in beneficium comprehensorum in quarto gradu*. Iis sane verbis leges ibi duæ indicantur, altera Friderici *in constit. ut de successionibus*, altera Caroli V. in *pragm.* 12. *de feud.* Hæc abrogatur, cum in quarto gra-

gradu pofiti in æquali laterali linea fine difcrimine admittuntur. Illi non derogatur, ac potius proponitur tamquam regula, ne fucceffio furfum afcendere crederetur. Quemadmodum igitur ex conftitutione Friderici fratrum filiis in tertio cognationis gradu conftitutis fucceffione patere juffa, amita, patruus in tertio & ipfi gradu pofiti excludebantur, nec nifi per Ferdinandi, & Caroli V. indulgentiam tandem cœperunt admitti; ita, patruelibus, fobrinis admiffis in quarto pofitis cognationis gradu, ad amitam, patruum magnum fine novo Principis beneficio fucceffio extendi non poteft. Nimirum admiffio quarti gradus in æquali laterali linea feudorum naturæ adverfari non videbatur. Verum fucceffio quafi retrograda contra naturam feudorum erat, eamque ob abfurditatem fuam in ipfa perfona patrui Conradus II. aboleri juffit,

ut alias monui. Cum igitur privilegia Principum ita intelligi oporteat, ut, quam minime fieri possit, a juris ordinarii regulis recedatur, admissis in quarto gradu constitutis, amita, patruus magnus admissi videri non debent, nisi speciatim expressi fuerint. Nam in deferenda eis successione duplex legis remissio necessaria erat, altera ratione gradus; altera respectu successionis quasi retrogradæ, quæ feudorum naturæ adversatur, & veluti monstrosa videri debet.

X. Ceterum quam thesim posuimus, ipsi barones & probe intellexerunt, & de absurditate successionis quasi retrogradæ respectu amitæ, ac patrui magni non dubitarunt. Ii scilicet *in pragm. 12. de feud.* supplici suo libello petunt, ut ad quartum usque gradum successio produceretur; idque, ut supra vidimus, certo sub modo eis fuit indultum.

tum. Cum tamen noffent, abnorme in jure feudali effe, ut patruo, amitæ licet in tertio gradu pofitis fucceffio pateret in feudis, expreffim id quoque poftulant. Si igitur in fpecie *pragm.* 12. *de feud.* in quarto gradu fucceffione conceffa, patruus, amita exclufi fuiffent, nifi eorum quoque admiffio & petita, & expreffim conceffa foret; multo minus ad quartum gradum generatim fucceffione producta *in pragm.* 34. *de feud.* amita, patruus magnus admiffi cenferi debent, cum ii præ fimplici patruo, amita longius a defuncto abfint, & de iis nullum ibi verbum occurrat. Ut rem paucis abfolvam, in ea pragmatica ad quartum ufque gradum barones fucceffionem extendi petunt, non ut amitæ, patruo magno quoque fucceffio deferretur, fed ut generatim admitterentur, qui in quarto æqualis lineæ gradu conftituti effent, eifque remitteretur lex illa feverior a

Carolo V. præſcripta *in pragm.12.de feud.* Aliunde ſi amitam, patruum magnum admittendos pertendas, quia in quarto ſunt gradu poſiti, eadem ratione matertera, avunculus magnus in feuda antiqua materna admittendi forent. Id tamen nemo ſanus contenderit, cum ſupra evicerimus, ne ſimplicem quidem materteram, aut avunculum licet gradu propiores admitti oportere. Hæc latius enucleare placuit, ut de foro rabulis, qui omnem cauſam juſtam, vincibilem jactitant, os occludatur. Nunc, quod ſupereſt, videamus, quatenus noviſſimis privilegiis feudalis in Regno Neapolitano ſucceſſio producta fuerit.

XI. Pridem Regni barones ſummo molimine connixi fuerant, ut ad quintum etiam gradum ſucceſſio in feuda produceretur, quod quidem ipſis ab eodem Philippo IV. conceſſum, ut enarratur *in pragm. 37. de feud.* Id privi-

le-

legium tamen per fisci patronos duas potissimum difficultates est passum. Primo enim nullam ejus rationem habendam ajebant, quia in pragmaticarum volumina relatum non esset; deinde quia intra justum tempus non fuerat rite exequutum. Verum in proposito suo animum non despondere barones. Nam in turbidis Regni rebus ea de re precibus aditus Carolus VI. eis successionem ad quintum usque gradum indulsit; tantum in insequentem modum rescripsit. *Placet, successionem feudalem non nisi ex nunc in posterum extendi usque ad quintum gradum inclusive, cum qualitatibus tamen, clausulis, & forma expressis in gratia concessa per Philippum IV. dum esset apud eum legatus Aloysius Roderico, & a fisco variis ex causis, & capitibus semper oppugnata, & juxta illius seriem, continentiam, & tenorem, & non aliter, nec alio modo*

d. pragm. 37. de feud. Huic tamen baronum privilegio novæ difficultates enatæ. Fisci enim patroni plura pertenderunt, quibus illud ferme inutile redderetur effectu juris. Primo enim ajebant, id tantum admittendum in feudis antiquis, & a communi parente profectis; deinde si defuncti, & successores æque masculi forent, & per masculos suscepti fuissent; denique, quod in prædicta pragmatica diserte cautum, tantum in casibus, qui post concessum privilegium contigissent. Perperam igitur controversæ species, quæ ante Caroli VI. privilegium evenerunt, a fisco per transactionem fuere compositæ. Sed proditæ causæ publicæ utinam ultimum id fuerit exemplum!

XII. His ita se habentibus, Augustissimum Regem Catholicum, quo tempore Neapolitanis imperitabat, rursus barones precibus interpellarunt, ut ad

quin-

quintum uſque gradum ſine diſcrimine promiſcuum ſuccedendi jus foret. Ad ſupplicem tamen libellum ita reſcriptum. *Sua Majeſtas, re maturius perpenſa, providebit pragm.* 41. *de feud.* Hinc apud nos hodie cognato quinti gradus feudum tandem defertur, ſi defunctus, ac ſucceſſor ſint maſculi, & a primo ejus quæſitore per maſculos ſuſcepti fuerint. Ipſe igitur maſculus, qui a primo acquirente per maſculos non deſcendat, ne ad tranſactionem quidem admittitur. Ita quidem memoria noſtra Cuperſani comes, utpote per fœminam in quinto gradu cum ultimo Adriæ poſſeſſore conjunctus, ne ad tranſactionem quidem fuit admiſſus, & ad fiſcum rediere feuda. Vid. Joann. Ferrar. *de feud. p.*2. *tit.* 2. §. 60. *& ſequ.* Id autem adeo explorati juris apud nos eſt hodie, ut in ipſis feudis antiquis ea de re nulla fiſco controverſia fieri ſoleat.

TI-



TITULUS XI.

De privilegiis successoriis Siculis baronibus concessis in capitulo si aliquem.

SUpra monuimus, sub Normannis, ac Svevis, & sub ipsa Principatus Andegavensis auspicia feudă Neapolitana inter, ac Sicula nil quicquam interfuisse. In utroque enim Regno, quod ad liberos, feudorum successio in infinitum patebat; quod ad parentes, ii prorsus excludebantur; in laterali linea non ultrà fratres, sorores, fratrumve liberos primi gradus feuda deferebantur. Enimvero ubi Principibus Aragonensibus, excusso Andegavensium jugo, sacramentum dixere Siculi, ut diversis dominis paruit utrumque Regnum, ita & in qui-

quibusdam juris articulis feuda Neapolitana inter, ac Sicula interesse cœpit. Sed quoniam potissimas inter utraque feuda differentias tradituri sumus, operæ pretium facturi videbimur, si ejus rei & causas, & primordia paucis prænarremus.

II. Nemo unus ignorat, Andegavensibus ad internecionem in Sicilia cæsis, ac Petro Aragoniæ Regi dicto a Siculis sacramento, Neapolitanorum quoque fidem adversus Andegavenses cœpisse subleftam esse. Neapolitanorum animis a Carolo I. alienandis ipsemet avidioris ingenii Princeps occasionem dedisse credebatur, quem fama est, novis oneribus subditos prægravasse. In turbidis autem Regni rebus potissimum suspecta fides baronum erat, qui a Carolo I. se ultra modum oppressos variis rumoribus differebant. Per id ipsum temporis Carolus I. Gallias petere consti-

stituerat singulari certamine cum Petro Aragonio de Siciliæ Regno decreturus. Ne quid igitur per ipsius absentiam adversus Majestatem suam barones molirentur, aut reliqui subditi, ipse, ejusque filius Carolus natu major Martinum IV. Pontificem querelarum arbitrum constituerunt, eique in mandatis datum, ut & de controversiis arbitrio suo æquius melius statueret, & subditos in fide adversus Principem confirmaret.

III. In prædictis rerum adjunctis non alias apud nos Andegavensium vices magis improsperæ. E Regno enim egresso Rege, Carolus II. relictus a patre vicarius virtute Rogerii Loriensis statim bello navali victus apud Petrum Aragonium captivus agebat. Carolus I. in Regnum redux illico e vivis excessit seu fato, seu a semet quæsita morte ægritudinum impatiens. In ea rerum fa-

facie Martinus IV. mandatorum utriusque Caroli memor Gerardum Cardinalem Parmensem in Regnum Neapolitanum proficisci jussit, qui & de prædictis controversiis cognosceret, & Regnum veluti ordinaret. Is subditorum querelas Pontificis arbitrio demandatas compositurus Regni Episcopos Melphim convenire jussit. Ne autem sibi deesset, in re gerenda cum Episcoporum consilio ab immunitate Ecclesiastica, & Episcopali jurisdictione initium desumendum censuit, mox de baronum, & reliquorum subditorum desideriis consulturus. Ita enata *capitula Gerardi*, quæ vocant. Ea tamen non tulerunt ætatem, ac statim oblivioni tradita. Martino enim fato cedente anno 1285. jussu Honorii IV. qui in ipsius locum cooptatus fuerat, de tota re accuratius actum. Ejusdem igitur Gerardi opera rebus controversis plene perspectis, Ho-

no-

norius capitula sua scripsit, quibus in alieno Regno veluti legislatorem agens cum Principatus injuria multa reliquis subditis, plura baronibus indulsit. Proinde Carolus II. veluti postliminio in Regnum e captivitate reversus Honorii constitutionem apud Neapolitanos obtinere vetuit, & in controversiis a Pontifice definitis veteres Regni leges servari jussit. Vide Jannon. *histor. civil. libr.* 21. *c.* 1.

IV. Porro ut Andegavensibus gratificaretur Honorius, quorum partes misere fovebat decessorum suorum exemplo, Neapolitanos tantum manentes in Caroli II. fide capitulorum suorum beneficio uti jussit; eorum participes Siculos esse vetuit, quamdiu sub Aragonensium potestate forent, neque bonam mentem induerent. Verum raro quidem exemplo accidit, ut Honorii capitula ob causas supra memoratas apud Nea-

Neapolitanos vim suam non exeruerint. Contra eorumdem pars longe maxima, quæ baronum commoda complectebatur, & ipsius Principis auctoritate apud Siculos confirmata fuit, & apud eos adhuc vim legis habet. Nimirum post Petri Aragoniæ, & Siciliæ Regis obitum ex ejus testamento filio ipsius Jacobo cessit Siciliæ Regnum ann. 1286. Is inter Reges Aragonenses primus Siculis leges tulit, quibus pace, & novo Principe uterentur. Cum vero per id temporis vis armorum penes barones potissimum esset, ad eorum animos arctius sibi conciliandos privilegia ferme omnia, quæ baronibus Neapolitanis per Honorium frustra concessa fuerant, ipsis indulsit. Ita factum, ut inter Jacobi capitula complura quidem occurrant, quæ iisdem verbis ex Honorii constitutione excripta fuerunt. Ea decem sunt numero præter propter, ac ple-

pleraque omnia baronum commoda complectuntur. Ex iis ad præsens argumentum pertinet capitulum *si aliquem*, eoque feudorum successio ultra præstitutos a Friderico limites producta fuit. Cum igitur ea potissimum lege feudalis successio apud Siculos regatur hodie, res ipsa flagitat, ut ipsamet ejus verba exhibeamus.

V. Ita igitur Jacobus *capit.* 33. Pontificem ad verbum excribens. *Si aliquem a nostra Curia feuda tenentem in capite, vel etiam subfeudatarium, nullo herede legitimo per lineam descendentem, sed fratre, seu ejus liberis superstitibus, mori contingat, si feudum ipsum ab aliquo ex parentibus sibi, & fratri communibus, vel non communibus* (postrema hæc tria verba in Honorii capitulo desunt, eaque intrusa in Jacobi legem fuisse infra liquebit) *pervenerat ad defunctum, idem frater, aut ex liberis*

beris suis usque ad trinepotem, ille, qui tempore mortis supererit defuncto proximior, in feudo succedat habiturus illud cum onere servitii consueti, ad successionem feudi omnibus personis feudatario, aut subfeudatario defuncto simili gradu conjunctis eodem ordine admittendis. Recte Petrus Jannonius ex Cavensi codice *eodem*, non *eorum* legit; & miror ego Franciscum Testam grammatistam illum non vidisse, *eorum* grammaticæ regulis adversari, nec *personis* paulo ante positis respondere. *In successione vero præmissa inter feudatarios, & subfeudatarios in eodem Regno Francorum jure viventes sexus, & primogenituræ prærogativa servetur, ut inter duos feudatario, & subfeudatario defuncto conjunctos fœminam masculus, & juniorem major natu præcedat, sive sint masculi, sive fœminæ concurrentes; nisi forte de duabus concurrentibus*

tibus esset primogenita maritata, & junior remanserit in capillo. Tunc enim junior, quæ remanserit in capillo, primogenitæ maritatæ in successione hujusmodi præferatur. Sed si, nulla remanente in capillo, duæ, vel plures fuerint maritatæ, majori natu jus primogenituræ servetur, ut alteram in dicta successione præcedat; & hoc tam super feudis antiquis, & veteribus, quam feudis per nos, & heredes nostros personis aliquibus concedendis, sicut præscribitur, de cetero præcipimus observari, qualibet consuetudine, vel constitutione cessante.

VI. Jam vero in jure feudali vel mediocriter versati homines ex producta Jacobi lege facile intelligunt, eam post Friderici constitutionem *ut de successionibus* alteram apud Siculos legem esse, qua regi apud eos successionem oporteat; inibi vero prædictam Frideri-

ci conftitutionem partim confirmari, partim quoque obrogari. Confirmatur Friderici conftitutio, quatenus in feuda de jure Longobardornm mafculi omnes jubentur admitti. Confirmatur etiam, quatenus in feudis de jure Francorum fexus, & ætatis prærogativam fervari placet. Confirmatur denique, quatenus in mafculorum defectu in feudis Franci juris præfertur fœmina natu major, nifi major natu fortaffe cum dote matrimonio collocata fuerit. Verum ei obrogatur, quatenus fucceffio e latere, quod ad fratrum præmortuorum liberos, latius extenditur. Nimirum, ut fupra vidimus, ex prædicta Friderici lege tantum fororibus, fratribus, fratrumve liberis primi gradus feuda deferuntur. At in lege fua Jacobus, quod ad fratrum præmortuorum liberos, fucceffionem in feuda poft Honorium latius patere jubet. Ut enim ipfa ejus verba palam often-

dunt, ibi in feuda admittuntur non tantum præmortuorum fratrum liberi primi gradus, ſed & nepotes, pronepotes, abnepotes etiam, &, quod ego addiderim, adnepotes. Ita cum Siculis liberalior ego fuerim, & in fratrum liberis ad ſeptimum uſque gradum ſucceſſionem extenderim. Cum enim ii ad trinepotem uſque jubeantur admitti; adnepotes trinepotes in cognatione præcedunt: adnepotes autem cum adavi fratre in ſeptimo cognationis ſunt gradu. Proinde haud abſurde dixeris, doctores Siculos copia, & luxurie Jacobini privilegii obrutos civilium regularum amiſiſſe memoriam, ac ſeptimum in eo gradum pro ſexto computaſſe. Eis igitur indulgemus & ſeptimum ſucceſſorum gradum in fratris liberis paſſim omiſſum. Qua quidem in re ſcriptores Siculi cæcutiunt ferme omnes, qui adnepotes non computantes ſex tantum gradus agno-

ſcunt

ſcunt ad trinepotem uſque. Inſtar omnium ſit Cannetius ad *capit. ſi aliquem. fol.* 242. & alter ab illo Cumia ad *d. capit. v. trinepotem*. Ita vero poſt Honorium per Jacobum apud Siculos intra limites conſuetudinum feudalium res redacta fuit, ex quibus ad ſeptimum uſque gradum ſucceſſio extenditur. Id tantum intereſt conſuetudines feudales inter, & Jacobi capitulum, quod in eo tantum in fratris liberis ad ſeptimum uſque gradum ſucceſſio produci jubetur.

VII. At vero quòd ibidem Jacobus edicit, *ad ſucceſſionem feudi omnibus perſonis feudatario, aut ſubfeudatario ſimili gradu conjunctis eodem ordine admittendis*, id neceſſario ob feudorum diverſitatem cautum oportuit. Ea verba ſcilicet ad feuda de jure Longobardorum referri debent. In ea, quemadmodum ſupra vidimus, ex Friderici con-

ſtitutione maſculi æque omnes admittebantur, ſeu de liberis, ſeu de cognatis e latere controverſia foret. Igitur, in fratrum liberis producta ſucceſſione, Jacobus, ſi plures ex fratrum liberis maſculi forent eodem in gradu poſiti, eodem proximitatis ordine in perſona unius obſervari ſolito ſucceſſionem æque omnibus deferri jubet. Proinde ſi ex altero fratre præmortuo ſuperſint nepotes, pronepotes ex altero, nepotes tantum æque omnes ſuccedent. Hanc ego dejero ſententiam legis eſſe. Eam ob rem pro cauſa publica per me bonis omnibus quiritare licet. Adeſſe hic ego jubeo juriſconſultos omnes, & ipſum cum tota *necyomantia* ſua Forcatulum, ac ſi quis alius horum myſteriorum peritiam præſtare queat; pipulo me per orbem literatum differant, ſi alia inde ſententia poſſit extundi.

VIII. His igitur recte perpenſis, facile

cile est intelligere, controversias successorias apud Siculos duabus tantum legibus definiri oportere, nimirum aut primæva illa Friderici lege *in constit. ut de successionibus*, aut Jacobi Aragonensis capitulo, quod enucleandum suscepimus. Ex Friderici constitutione, ut late ostendimus supra, in laterali linea successio fratribus tantum, sororibus, fratrumve liberis primi gradus patere potest. Ea generatim apud Siculos hodie vigere debet, nisi quatenus obrogatum quid ei fuerit prædicta Jacobi lege. Per hanc Siculis id tantum indultum, ut non solis fratrum filiis, sed & liberis omnibus fratre prognatis ad trinepotem usque successio deferatur. Ut tamen fratrum liberis successio pateat, Jacobi capitulum duo ponit veluti *extrema*, quæ vocant; primo scilicet, ut de successione in feuda fratris agatur; deinde ut cum fratris præmortui liberis masculis

quidem, & virili ſtirpe ſuſceptis ſit controverſia. Si ea deſint, ſuave illud Jacobi capitulum nil Siculis prodeſſe poteſt: ipſorum igitur controverſias ſine prædictis rerum adjunctis conſtitutione Friderici definiri oportebit. Ita ſane ſi fingas, in Sicilia obire quempiam, cui non fratris quidem, ſed ſororis filius ſuperſtes fuerit, feudum fiſco defertur. Si fingas adhuc, non fratrem quidem germanum, aut conſanguineum, ſed patruelem fato cedere, ad patruelem ob Friderici conſtitutionem feudum redire non poteſt.

IX. Ex dictis hactenus facile decerni poteſt de quorumdam inter Siculos rabularum ſententia clamitantium, per eam Jacobi legem quibuſvis cognatis in Sicilia feuda ab inteſtato deferri, licet in ſexto gradu, prout ipſi in gradibus recenſendis rationes ineunt, & ad trinepotem uſque defuncto cognati deſint.

sint. Ipsi inter Siculos accuratiores pragmatici ejus sententiæ absurditatem & agnoscunt, & aversantur. Nam ferme omnes veluti ex compacto docent, ne eos quidem, qui primo feudi quæsitore prognati fuerint, ad successionem admitti, si intra gradus non sint, ad quos usque Jacobi capitulum feuda deferri jubet. Instar omnium sint Cannetius ad *capit. si aliquem. p.* 242. Cumia *ibid. voc. trinepotem. n.* 9. & *sequ.* ac, ne percenseam singulos, ipse Pernus *consil.* 21. Recte igitur Camerarius noster Siculorum deliramenta isthæc *perfidiam* appellavit *dialog.* 2. Atque hic opportunum fuerit advertere, eum id scripsisse, cum perduellionis jam reus adversus Carolum V. e Regno profugus in Gallia exulabat: ut proinde nulla causa produci possit, quæ sententias fisco favorabiles per id temporis ei extorqueret. Sed & contraria fisco sententia

ipsi

ipsi Mario Cutellio inter Siculos magis ingenuo bilem movit. Eam autem in Sicilia evaluisse narrat potissimum causidicorum opera, quia, ut ipse scribit, *omnes advocati ex præcipuis feuda successoribus parare student, illaque irrevocabilia efficere de donat. 2. spec. 22. n. 20.*

X. At vero sententia, quæ fisco addici jubebat eorum feuda, qui sine herede feudali decederent, post Jacobi capitulum non solum accuratiorum doctorum auctoritate in Sicilia stetit, sed exemplis etiam, & ipsis rebus judicatis confirmata fuit, ut ostendit eruditissimus Marchio Simonetta in consultatione sua ad Proregem Siciliæ missa *de regress. feud. ad fisc. in Sicil.* Ibidem autem vir clarissimus recte monuit, abusum, quo apud Siculos inoleverat, ut quicumque cognati remotiores feuda specie successionis invaderent, ex statuto pro-

profectum esse, quod *continuans* in Sicilia dici solet. Nimirum precibus Alfonsus a Siculis aditus eis inconsulte concessit, ut, sine liberis decedente barone, quisquis prima fronte, quoquo modo ostenderet, sibi feudi successionem patere, statim in possessionem induceretur; fiscus vero, si feudum ad se pertinere contenderet, judicio rite instituto, jus suum experiretur *capit.* 390. Ita, fisci patronis ejus causam negligentibus, feuda apud heredes non feudales, qui nacti possessionem forent, pergebant esse. Id quidem a fisco damnum arcere studuit in Sicilia Ferdinandus *capit.* 43. Ibi enim Princeps statuto, quod *continuans* appellari diximus, Siculos uti jussit, modo ne de feudis controversia foret. Verum memoratus in Sicilia abusus altiores radices egerat. Proinde ne eo quidem Ferdinandi capitulo emendari potuit. Quapropter inter patronorum fi-

sci

ſci conniventiam a pluribus ferme ſæculis apud Siculos ob heredis feudalis defectum feuda ad fiſcum nulla redierunt. His igitur accurate perpenſis, recte feliciſſimus Ferdinandus, auguſtiſſimi in Regno ſenatus plena opinione prævia, pragmatica ſanctione cavit anno 1788. *in Sicilia ex laterali linea in gradu feudali computari oportere perſonas tantum, quæ in capitulo* ſi aliquem *vocatæ forent; ad alios e latere cognatos ſucceſſionem redire non poſſe, quamvis primo feudi quæſitore prognati dicerentur, ſi inter perſonas non eſſent in capitulo deſignatas.*

XI. Nondum hinc Siculi abire me ſinunt: ſubſiſtere me adhuc hic adigunt eorum molimina egregie delira quidem, at publicæ cauſæ perniciosa. Nimirum verba illa Jacobi, *ad ſucceſſionem feudi omnibus perſonis feudatario, aut ſubfeudatario ſimili gradu defuncto conjunctis eo-*

dem

dem ordine admittendis, supra eo pertinere docuimus, ut, si in feudis de jure Longobardorum inter fratrum liberos ejusdem gradus plures concurrant, secundum proximitatis ordinem ad successionem æque omnes admitti debeant. Inde tamen ex doctoribus Siculis plerique omnes sententiam exculpunt longe diversam. Ii enim in ea sunt hæresi, ut ob prædicta verba non tantum fratris liberos admittendos putent, sed & generatim cognatos omnes, qui ad sextum, aut septimum usque gradum cum defuncto conjuncti fuerint. Proinde si scholæ feudali Siculæ fidem præstemus, cognatis omnibus ad sextum, aut potius ad septimum usque gradum successio feudorum patebit. Si igitur eos audieris, non tantum fratris liberi ad trinepotem, & filiæ ad trineptem usque, sed & patruus seu magnus, seu major, seu maximus, & qui ultra maximum est, admi-

mittetur. Idem intellige de patruelibus, ſobrinis, atque aliis ad eumdem uſque gradum eis prognatis. Ad eamdem rationem percenſe matrem, ejuſque parentes, materteram, avunculum, ac generatim alios eodem in gradu matri conjunctos. Tempus abſumere piget in omnibus percenſendis, quos ex Siculorum ſententia inter feudales heredes referri oporteret; neque ego faſtidium lectori creare velim ſingulis numerandis, qui ex eorum mente in feudorum ſucceſſionem admittendi forent. Enimvero ſi intra prædictos gradus cognatis maternis, paternis, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum e paterno, materno latere feuda deferri ponas, ilicet, actum de fiſco erit, neque uſu umquam venire poterit, ut ei in Sicilia feuda deferantur. Quotus enim quiſque erit fato cedentium, qui feudalem aliquem heredem ex Siculorum

ſen-

sententia non sit relicturus? Sed & ea in re, ut a rerum Siciliensium peritis audio, adeo se faciles præstitere judices, ut feuda ipsis conjugibus in cognatorum defectu ex edicto *unde vir, & uxor* adjudicarint. Ita directum feudorum dominium, absit verbo invidia, & hactenus apud Siculos Principi vix profuit, & porro vix profuturum videtur. Sed horret animus meminisse tot monstrosa in jure feudali deliramenta, & videre præstat, quam probabiliter isthæc Siculi doctores commenti fuerint.

XII. Ut igitur de controverso capituli commate accuratius decerni possit, adverti quidem oportet, illud ipsius Fridericianæ constitutionis veluti nucleum exhibere, ejusque, quod ad fratris defuncti liberos, temperamentum esse. Tria autem in eo capitulo proponuntur. Primo scilicet, quod ad fratris defuncti liberos, in alterius fratris obitu ad trinepotem

usque

usque successio extenditur secundum proximitatis ordinem. Deinde, quia per id temporis apud Neapolitanos, ac Siculos feuda adhuc pleraque de jure Longobardorum erant, eo respectu edicitur, ut, seu unius, seu plurium præmortuorum fratrum liberi plures in eodem constituti gradu concurrerent, partem æque omnes & facerent, & acciperent. Denique, cum per idem temporis feuda quoque de jure Francorum in Sicilia multa forent, ibidem placuit, ut, si ejusdem fratris liberi plures essent, masculus natu major reliquis præferretur. In ea capituli parte, in qua de feudis Longobardici juris agitur, inter liberos diversi gradus, *qui supererit defuncto proximior*, jubetur admitti. Necessaria igitur consequentia statim additur, ut in multorum concursu, pluribus extantibus fratris, fratrumve præmortuorum liberis *simili gradu defuncto conjunctis*, *eodem ordine*,

dine, proximitatis ſcilicet, æque omnibus ſucceſſio deferatur. Nugas autem agunt, qui neſcio quid myſterii in verbis *ſimili gradu* ſe deprehendere jactitant, & fiſci intentionem inde infringendam garriunt, quia *eodem gradu* ibi non dixit ſeu Honorius, ſeu Jacobus. Norunt enim grammaticorum filii, ſexcenties Latinos pro *eodem* ſimile dictitaſſe. Aliunde recta ſcribendi ratio non patiebatur, *eodem* dici, cum mox in capitulo tribus poſt verbis *eodem* etiam ſequeretur. Stet illud igitur, in capitulo vere Jacobino, &, prout Siculi illud interpretantur, Principis Majeſtati contrario, tantum in fratrum præmortuorum liberis ſucceſſionem produci; neque ego video, cur in mentem Siculis venire potuerit, ea lege cognatos quoslibet intra ſextum, aut ſeptimum gradum defuncto conjunctos ad ſucceſſionem admitti. Id ſaltem ipſa capituli verba dici non patiuntur. Si

enim ea mens Honorii, aut Jacobi fuisset, opus quidem non erat, ut per tot ambages ὁριστικῶς in fratre, ejusque liberis hypothesim ponerent: nam tribus verbis expedire se potuissent, cognatis intra septimum gradum generatim successione delata.

XIII. Porro ut nullus supersit ea de re dubitandi locus; rursus hic memoria repetendum, ejus capituli non Jacobum Regem, sed Honorium IV. auctorem fuisse; id ipsum in turbidis Regni Neapolitani rebus non propter Siculos, sed Neapolitanorum causa fuisse scriptum cum reliquis Honorii capitulis, quæ ejus constitutio exhibet; ejus capituli beneficio Pontificem uti vetuisse Siculos, quamdiu sub Aragonensium sacramento forent; Jacobum, ut gratificaretur Siculis ob fidem adversus Aragonenses, neu eos pœniteret, ab ipsis non descivisse, ejus capituli privilegium con-
cess-

cessisse Siculis, atque ipsa verba Pontificis usurpasse; ita jussu Jacobi Regis eam legem in Sicilia tantum obtinuisse; quod ad Neapolitanos, eam respuisse Carolum II. licet ob Neapolitanos potissimum ab Honorio scripta foret. Quapropter mens Jacobi fuit, ut ejus capituli privilegio intra eosdem limites Siculi uterentur, intra quos Neapolitanos ipsos uti oportuisset, si ex mente Pontificis in Regno Neapolitano Carolus II. id adprobasset. Videamus igitur, quæ sententia Pontificis in eo Neapolitanis concedendo fuerit, & quam interpretationem apud nos habere oportuisset, si Caroli auctoritate apud Neapolitanos quoque receptum esset.

XIV. Ea in re primum omnium satis constat, plura quidem Honorium in constitutione sua contra jura fisci, & Majestatem Principis concessisse; Neapolitanis tamen, quod ad feudalem suc-

cessionem, non adeo liberalem se præstitisse. Sane si hoc Honorii capitulum cum successorio Friderici edicto conferatur, aperte liquebit, a constitutione *ut de successionibus* eum quam minime recessisse. Nam ipsis ferme verbis, ac sententiis capitulum suum in re successoria scribit Honorius; in omnibus Friderici veluti paraphrasten agit. In eo tantum constitutioni Fridericianæ obrogat, quod feuda deferri jubet non solum, quod Friderico placuerat, fratris filiis primi gradus, sed & reliquis ejus liberis ad trinepotem usque. Id non adeo fisco grave, cum raro contingat, ut in cujusquam obitu fratris nepos; rarius vero, ut pronepos, abnepos, &, quod ferme impossibile, adnepos inveniatur. Postrema hæc enim exempla nemo fortasse meminerit, & in Regno Neapolitano unus Marchio Citus produci potest, qui centum ferme annos na-

natus abnepotem ex fratre vidit. Honorium vero in feudali successione se non facilem præstitisse, multo magis constabit, si conferatur in eadem ipsius constitutione capitulum *si vero feudum.* Ibi enim vetat, ipsos fratris filios primi gradus ad successionem admitti, si ab ipso patruo primum quæsitum sit feudum. Sic enim ibi Honorius statim post capit. *si aliquem. Si vero feudum inceperat a defuncto, tunc solus defuncti frater in eo succedat, nisi lex concessionis in præmissis aliud induxisset.* Viderint igitur Siculi, num genuina videri debeant verba in capitulo illa *sive non communibus*, an per fraudem potius in illud irrepserint. Sed eam in rem infra erit inquirendi locus. Quod in præsenti instat, agamus.

XV. His ita præstitutis, si in prædicta Honorii constitutione ipsi fratris filio apud Neapolitanos successio denegata

fuit, ubi a fratre primum feudum quæsitum esset, neque eo respectu Pontifex a Friderici constitutione recessit *in capit. si vero feudum*, qua fronte quispiam nobis velit obtrudere, in proximo ejusdem constitutionis capitulo *si aliquem* eumdem Honorium sibimet ferme contrarium indulsisse monstrosum illud in jure feudali privilegium, quo intra septimum gradum constitutis generatim feuda deferrentur sursum, deorsum, sinistrorsum, dextrorsum, & quoquo ex latere cognatus quis foret? Audacter dixerim, aut nos fallunt hermeneuticæ regulæ, aut doctores Siculi destinato consilio mentiuntur. Cuivis enim, qui sensu communi polleat, intelligere licet, in prædicto capitulo non gradus quidem, sed certas tantum personas feudis capiundis enumerari. Hæc autem ego perpendens satis decernere nequeo, an compos mentis cum Siculis

suis

fuis Cumia fuerit hæc evomens *ad capit. fi aliquem. Sic non folum minores transverfales agnati ad majorum transverfalium fucceffionem admittuntur, fed e contra majores ad minorum fucceffionem afpirant. Siquidem hæc litera capituli* fi aliquem *gradus, & non tantum perfonas enumerat. Et ita hunc textum noftrates interpretantur Gvilelmus de Perno, Blafcus Lancea, & Joannes Aloyfius de Septimo*. Ei tamen in eo juris articulo regero, quod de productis heroibus in hoc ipfo argumento fcripfit Marius Cutellius & ipfe inter doctores Siculos doctior, & magis ingenuus *de donation. tract.*2. *difs.*1. *fpec.* 22. *Quomodo credamus Lanceæ, Septimo, Cannetio, qui omnes feuda ad pofteros trafmiferunt?* Sed quod ad Gvilelmum de Perno, ne bona quidem fide Cumia agit. Pernus quidem ad *capit. fi aliquem* communi Siculorum feu

imperitia, seu fraude abreptus comma ejus legis, *personis omnibus simili gradu defuncto conjunctis eodem ordine admittendis*, ita ab initio interpretatur, ut omnes in septimo gradu cognatos admittendos putet; ibidem tamen, ipsa feudali jurisprudentia in consilium advocata, ipsemet aliter rationes init. Sic enim addit. *Occurrit tertius intellectus, qui mihi noviter occurrit legendo, textum hunc loqui, quando plures sint de his personis propositis, scilicet fratre, & liberis, qui sunt defuncto conjuncti pari gradu, & determinari, quod ii pariter admittantur*, in feudis scilicet Longobardici juris, *nisi inter viventes jure Francorum*. Vides igitur, ipsos scriptores Siculos, qui paulo meliori fide rem perpenderunt, popularium suorum sententiam improbare.

XVI. Hactenus expositis recte perpensis, ego non video, cur in re success```

ceſſoria adeo ſibi Siculi blandiantur, quaſi ſucceſſionis feudalis reſpectu præ Neapolitanis melior ſit ipſorum conditio. Siquidem ob nova privilegia Neapolitanis conceſſa quarumdam perſonarum reſpectu vel ad quintum uſque gradum apud nos ſucceſſio patet, & non ſolum ſororum filiis feuda deferuntur, ſed & patruelibus, & amitinis, &, quod ſupra latius exequuti ſumus, ipſi patruo, & amitæ. Eæ autem perſonæ novis privilegiis apud Neapolitanos admiſſæ in Sicilia excluduntur. Nam ſororis quidem filius, patruus, amita, cum de iis in Jacobi capitulo mentio nuſquam injiciatur, ex Friderici conſtitutione hodie apud Siculos excludi debent. Enimvero, quod ad patruum, amitam, doctores Siculi ferme omnes exiſtimarunt, eos a feudorum ſucceſſione arceri non oportere. Eam abſurditatem potiſſimum ii tuentur Jacobi ſui

ca-

capitulo. Verum si inde patruus, amita admittantur, indidem admittendi forent & patruus magnus, & major, & maximus, & qui ultra maximum esset. Id autem qua fronte pertendi possit, satis definire nequeo. Sed quoniam is juris articulus maximas excivit turbas, ac de successione patrui, amitæ, quod ad Siciliæ feuda, propediem in augustissimo Regni Senatu potissimum decerni debet, ea de re sine ira, & studio, quorum causas procul habeo, meam & ipse sententiam in antecessum hic dicam. Tota autem controversia eo redit, an in feudis successio seu vere retrograda in persona parentum, seu quasi retrograda in patruo, amita, aliisve, qui parentum loco dicuntur esse, sit admittenda. Ut autem apte destinata componam, ea de re primo jus feudale commune, deinde Siculum paucis enarrabo.

XVII.

XVII. Quod ad ſucceſſionem vere retrogradam, eam jus feudale commune omnino rejicit ob cauſas, quas enarravi *libr.* 2. *tit.* 5. §. 9. Hinc conſuetudinum feudalium collector edicit *libr.* 2. *tit.* 50. *Succeſſionis feudalis talis eſt natura, quod aſcendentes non ſuccedunt, verbi gratia pater filio*. Quod ad ſucceſſionem quaſi retrogradam, Lotharius quidem I. tantum patruo feuda deferri juſſit *conſuet. feud.* 1. 19. Ea tamen Lotharii conſtitutio abnormis eſt viſa, & feudorum inſtituto contraria. Proinde eam Conradus II. abrogandam cenſuit, eique minus monſtroſum viſum, fratribus feuda deferri, modo a communi parente ea profecta forent, ut liquet ex ipſa conſtitutione Conradi apud Cujac. *libr.* 5. *de feud.* Vide, quæ ſupra monuimus *loc. cit.* §.10. Haud ego quidem ignoro, conſuetudinum feudalium collectorem pluries enarrare, in

Ita-

Italia Transtiberina ex constitutione Lotharii ad patruum redire feuda. Inde tamen ad summum inferre licet, jurisconsultos Mediolanenses inter Principum ab Italia absentiam eorum in re successoria constitutiones susque deque habuisse; ita vero in legum fraudem veluti ex compacto successionem detulisse patruo. Quam male ea in re periti illi versati fuerint, vel inde liquet, quod non solum contra Conradi constitutionem, sed & contra Lotharii legem in laterali linea non tantum ad septimum usque gradum, sed & in infinitum extenderunt feudorum successionem. Stet illud igitur, inspecto jure communi feudali non illo cerebroso quidem, ac per Mediolanensium jurisconsultorum abusum invecto, sed Principum legibus constituto, neque vere retrogradam, neque quasi retrogradam successionem in feudis admitti opor-

portere. Sed videamus, an Siculorum jure primævo ea possit admitti; primævo inquam, quod constitutio Friderici complectitur: qua quidem, ut sæpe monui, de feudis apud Siculos controversiæ & hodie definiri debent, modo ne qua in re per Jacobi capitulum ei sit obrogatum.

XVIII. Alibi ostendimus, per constitutionem *ut de successionibus* non minus parentes, quam eos etiam a feudis exclusos fuisse, qui loco parentum dicuntur esse. Ex ea igitur neque patruo, neque amitæ, multo minus materteræ, aut avunculo feuda deferri possunt: novis tantum Principum privilegiis patruo, amitæ apud Neapolitanos successio patet. Vide *libr.* 2. *tit.* 10. Supra quoque evicisse videmur, a prædicta Friderici constitutione in eo tantum recessisse Jacobi capitulum, quod in eo non solis fratrum filiis primi gradus, sed & re-

reliquis eorum liberis ad trinepotem ufque feuda deferuntur. Ita fupervacuum fuerit, nos enixius hic adlaborare, ut oftendatur, ex ipfo Jacobi capitulo patruum in Sicilia excludi oportere. *Secus* quidem fcriptitant doctores Siculi plerique omnes: quæ tamen producunt pro fua tuenda fententia, & prorfus inepta funt, & ea facile redargueris. In iis igitur confutandis operam abuti piget: adeo inficeta, adeo funt infulfa. Enimvero a me impetrare non poffum, quin ex Sardis illis venalibus aliquem ex præcipuis præfentem hic fiftam, ut pernofcatur, quam futilibus argumentis jus fucceffionis in patruo ftatuere fatagant.

XIX. Prodeat in fcenam igitur fui ludibrium lectori præbiturus gloriofus ille Thrafo inter pragmaticos Sicilienfes Cumia ad *capit. fi aliquem. fol.* 162. Ibi fic infit inficetus homo. *Sic non fo-*

lum

lum minores tranſverſales agnati ad majorum collateralium ſucceſſionem admittuntur, ſed e contra majores ad minorum ſucceſſionem aſpirant; ſiquidem hæc litera capituli ſi aliquem *gradus, & non tantum perſonas enumerat. Et ita hunc textum communiter interpretantur Gvilelmus de Perno, Blaſcus Lancea, Aloyſius de Septimo*. Ecce tibi ejus ſententiæ triumviri tuitores. Sed & Gvilelmus ille de Perno melioris fortaſſe fidei in Jacobi capitulo interpretando fuit incertus, &, ut ſupra monui, verba illa capituli, quibus Siculi triumphant, & ſibi plaudunt, potius de ſpecie intelligenda cenſuit, in qua *ſimili gradu conjuncti* æque ſuccedunt in feudum de jure Longobardorum. Id ipſum tamen tantiſper obliviſcamur, & ipſum Gvilelmi de Perno locum hic excribamus, ut de rationibus ab ipſo productis decerni poſſit. Is igitur ad idem capitulum, admiſſa

ad

ad successionem patruo, pro eo hæc argumenta corradit, quanti ponderis, si sapis lector, ipse definies. Patruo igitur admisso, subdit. *Et moveor, quia hoc primo benignius est; secundo, ut addat casibus præcedentibus e contra; tertio, quia dicit omnibus personis; quarto, quia dicit simili gradu; ergo cum illo eodem præcedenti; quinto, quia ratio est, ut, ubi idem gradus, æqualitas servetur inter eos. Et quod dicit eodem ordine, expone scilicet, desursum deorsum, & deorsum sursum, & maxime quia sicut nepos succedit patruo, ita æque patruus nepoti. Et æquum est, ut succedat secundum Andream de Isernia, qui allegat bonas rationes, & hoc in constit. ut de successionibus.* Euge, rationes optimæ. Sed quivis videt, nihil solidi hic proferri. Nam quæ ille veluti per saturam cumulat, sine jactu pulveris facile refelli possunt, si memoria repetan-

tantur, quæ ad rectam ipsius capituli intelligentiam superius commentati sumus. Ne quis tamen hæsitabundus animi pendeat ob *bonas* illas *rationes*, quas in Andrea de Isernia admiratur Pernus, videamus, quæ sint argumenta ipsius Iserniæ, & an a sententia dimovere nos possint.

XX. Quod igitur ad *bonas* Iserniæ pro patruo *rationes*, is quidem ad *cap. Imperator Lotharius. n.*2. argumentis non pœnitendis primo patruum prorsus excludit; mox tamen eorum oblitus caufam patrui tuendam suscipit. Ecce tibi *bonas* ejus *rationes*. *Ista*, inquit, *non valent, neque pondus habent, primo quia ista est lex Imperatoris Lotharii, qui est dominus mundi. Saltem, sicut rationabilia dicta, deberent servari, etiamsi non essent leges Imperatoris. Hoc autem est valde rationabile, ut patruus nepoti succedat, sicut nepos patruo propter æqua-*

litatem servandam, & ut non sit invidia . . . . Prædicta quoque constitutio ut de successionibus non tam enumerat personas, quam gradus in collaterali, usque ad quas scilicet licet succedere, quod patet in versu, in ulteriori autem gradu positis. Unde in omnibus personis, quæ existunt inter illos gradus permissos, habebit locum successio, quasi omnes personæ inter illos gradus existentes sint expressim nominatæ. Eodem ferme recidunt, quæ in eamdem sententiam garrit Afflictus ad *id. cap. n.* 43. Sed primum illud ineptum est prorsus, neque dignum, quod confutetur: alterum, quo afferitur, in Friderici constitutione gradus, non personas enumerari, vel ipsis verbis Friderici refellitur. Contrariam autem fisco sententiam feudalis tota ferme Neapolitana schola absurdam semper existimavit. Instar omnium sit Rovitus ad *pragm.* 4. *de feud.*

feud. n. 8. Ibi enim is primo ostendit, in Friderici constitutione non gradus quidem, sed personas enumerari. Deinde receptam fuisse apud Neapolitanos sententiam, per constitutionem patruum admitti non potuisse; ei feuda apud nos tandem deferri coepisse per privilegium Regni baronibus concessum a Ferdinando Catholico ann. 1507. confirmatum quoque per Carolum V. ann. 1532. Sed totam rem nemo inter pragmaticos Ursillo doctius, & accuratius exponit *de success. feudal. p. 2. quæst. 7. artic. 3. pag.* 755. Sic enim ibi. *Non est verum, constitutionem ut de successionibus non tam considerare personas, quam gradus: imo contra, quod evidenter probatur ratione, & Regni decisione. Ratione, nam consilium Andreæ procederet, si prius Imperator in d. constit. gradum collateralium vocasset, vel ex eo filios fratrum vocasset, quia in*

tertio gradu essent. Sed nihil horum fecit Imperator, sed filios fratris, eosque in locum patris vocavit. Unde, quod post subjecit, in ulteriori autem gradu positos, intelligi, & restringi secundum dictum speciale praecedens, scilicet ut transversales descendentes ultra tertium constituti gradum non succedant. Decisione probatur, illa scilicet Ferdinandi I. qui amitam in tertio gradu constitutam exclusit, ut refert Bottis ad constit. ut de successionibus. Vides igitur aeque lector, quam bonae rationes sint illae, quas ad firmandam sententiam suam ex Isernia mutuatur Pernus, quamvis & eam ipse deseruerit, ut liquet ex ejus loco supra producto.

XXI. At nondum hic finis, &, quae pro Siculis addam, supersunt adhuc ob Caroli V. privilegium *in capit.* 258. Inde enim passim inferri video, jussu etiam Caroli V. non tantum patruum, ami-

amitam, sed & generatim cognatos omnes sexto gradu defuncto conjunctos in feudorum successionem admitti oportere. Ut igitur fide quam optima cum Siculis agatur, ejus privilegii occasionem exhibere lubet. Ita enim accuratius decerni poterit, an eo sententiam suam tueri queant. Tota res igitur ita se habuit. Inter patronorum fisci negligentiam per ætatem Caroli V. apud Siculos cognati omnes intra sextum gradum, & ultra in feuda succedebant. Præterea, ut infra latius differemus, ob illa capituli Jacobini verba *sive non communibus* cognati materni quoque in feuda paterna admittebantur. Ita in cognatorum maternorum, paternorumque concursu cognati materni proximiores paternis gradu remotioribus præferebantur, quamvis hi ex primo feudi quæsitore descenderent. Id sane injurium, eaque causa fuit, cur Siculi precibus Carolum V.

interpellarent ejus absurditatis emendandæ gratia. Proinde Imperatorem precibus adeuntes aiunt, apud ipsos ob Jacobi capitulum ad sextum usqué gradum in feuda succedi nullo discrimine, seu paterni, seu materni cognati forent. In ea rei positione ab Imperatore petunt, ut in feudo paterno cognatus paternus remotior præferretur cognato materno proximiori, quoquo gradu cognatus paternus a defuncto distaret. Eorum desideriis indulgens Imperator id baronibus concessit. Inde Siculi doctores inferunt, eo quoque Caroli V. privilegio placuisse, ut apud ipsos successio non solum ad patruum, amitam, sed & ad sextum usque gradum generatim extenderetur. Videamus igitur, an revera Imperator per eam legem apud Siculos successionem ad sextum gradum usque produxerit.

XXII. Eo ut perveniamus, quod supra

pra monuimus, rurfus hic advertendum, privilegia Principum non ex libello fupplici, & petentium precibus, fed ex ipforum refcriptis interpretationem fuam accipere. Ita fane in fupplicibus libellis per Neapolitanos fæpius poftulatum, ut apud ipfos exempli gratia ad quartum ufque gradum fucceffio extenderetur; fi in refcripto Princeps feudum patrueli deferri jufferit, inde non debet inferri, in quarto gradu cognationis pofitos generatim admiffos. Præterea advertendum & illud, in refcribendo Principes negligentius plerumque agere, præfertim fi nullum fifco detrimentum immineat, ut in præfenti fpecie, in qua non cum fifco quidem, fed de controverfia inter privatos tantum enafci folita agebatur. His ita fe habentibus, juxta defideria Siculorum cognatum paternum, & ex latere feudi defuncto conjunctum cognato materno licet proximiori Imperator

præferri jubet. Ea petitio in libello supplici principem locum habet; non oportebat in rescripto Imperatorem falsitatis arguere Siculorum positionem, qua dicebatur, ad sextum usque gradum apud ipsos in feuda succedi. Positio isthæc intra legum limites relinquebatur, neque ab ejusmodi assertione a Principe expressim non confirmata jus ullum enasci poterat. Proinde si adrependo Principi falsum in libello exposuere Siculi, non video, quomodo ex eo privilegio possit inferri, successionem apud ipsos aut ad patruum, aut ad sextum usque gradum fuisse productam. Multo autem minus Siculorum causæ prodesse queat Regis Friderici privilegium *in capit. constitutionem*. 30. Ibi enim, quod ad personas quidem, Jacobi privilegium non extenditur: per eam constitutionem Siculis ad summum concessum, ut prædicta Jacobi lex non tantum in feudis an-

antiquis, ſed in novis etiam vim ſuam exerat.

XXIII. At nondum hinc abire me ſinunt privilegia Siculorum. Eis ſcilicet inſedit animo opinio plurium ſæculorum abuſu firmata, ex capitulo ſcilicet *ſi aliquem* ad trinepotem uſque apud eos feuda deferri, licet frater, eorumve liberi per eum parentem defuncto conjuncti non fuerint, unde profectum ſit feudum. In ea ſententia triumphare ſe putant ob illa prædicti privilegii verba: *ſi feudum ipſum ab aliquo ex parentibus ſibi, & fratri communibus, vel non communibus pervenerit ad defunctum; idem frater, aut ex liberis ſuis uſque ad trinepotem ille, qui tempore mortis ſupererit defuncto proximior, in feudo ſuccedat*. Sane ſi verba illa *vel non communibus* genuina ſint, edicto uti poſſidetis barones in Sicilia tueri ſe poſſunt, & frater, ejuſve liberi

in

in feudo præferri debent, licet ex communi parente id profectum haud fuerit. Verum si ostendatur, verba isthæc per dolum fuisse supposita, iisque capitulo fucum fuisse factum, in feudo, quod ex parente communi non pervenerit ad defunctum, fiscum præferri oportebit.

XXIV. Enimvero controversa verba in Jacobi legem per fraudem irrepsisse, duo potissimum argumenta probant. Primum ex ipsa Honorii constitutione haurire licet, unde, ut supra monuimus, capitulum *si aliquem*, ut & plura alia, ipsis verbis per Jacobum fuit excriptum. Nimirum, ut supra vidimus, in extendenda feudali succesione Honorius non adeo liberalem se præstitit, eo tantum excepto, quod in fratrum liberis eam produxit ad trinepotem usque. Id apprime ostendit ejusdem constitutionis capitulum *si vero feudum*; quod statim subditur *cap. si aliquem*. Ibi enim in feu-

feudo novo fratrem tantum licet contra Friderici legem admitti jubet; liberos prorsus excludit. Verum in privilegiis concedendis æquum videbatur, ut feudum novum virtute, aut pecunia defuncti quæsitum fratris liberis deferretur, præsertim si frater ὁμοπατριος fuisset, seu eodem patre prognatus. Id ipsum tamen indulgendum non censuit Pontifex, quia juris communis, & Neapolitani regulis palam adversabatur. Quis igitur sibi persuaserit, in mentem venire Jacobo potuisse, ut contra Friderici legem, feudum non profectum a parente communi, neque fratris opera, pecuniave quæsitum ad fratris liberos, & ad trinepotem usque rediret? Id si in animum induxisset Jacobus, adversus Siculos fuisset ipse liberalior, quam adversus Neapolitanos fuerat Honorius. Atqui in adoptanda Pontificis constitutione præ Pontifice Sicu-
lis


lis minus liberalem Jacobus se præstitit. Licet enim plura capitula ex Honorii constitutione apud Siculos obtinere jussisset, capitulum tamen *si vero feudum* omnino rejecit, in quo, ut vidimus, feudum novum fratri deferri jubebatur. Constat igitur verba illa *capit. si aliquem, sive non communibus*, per dolum fuisse supposita, ac baronum fraude fuisse conficta.

XXV. Alterum, quod ea in re palmarium ego putarim, ejus suppositionis argumentum primus produxit vir clarissimus Marchio Simonetta numquam sine laude nominandus. Is scilicet, qua juris feudalis scientia pollet, sibi persuadere non poterat, Jacobum Regem, capitulo *si aliquem* ex Honorii constitutione κατα ῥημα excripto, tribus additis verbis, fisci rationes pessumdare voluisse ea concedendo, quæ & juri feudali primævo adversabantur, neque Hono-

norius ipſe privilegiorum prodigus Neapolitanis auſus fuerat in conſtitutione ſua concedere. Ita vir doctiſſimus de fraude ſuſpectans impenſius dubitare cœpit, an controverſa verba genuina forent. Eam ob rem, pluribus capitulorum editionibus conquiſitis, comperit, omnium primam fuiſſe illam, quæ ſub ductu Petri Appuli Meſſanenſis abſoluta fuerat anno 1495. Ejus tamen vix duo, aut tria exempla in Sicilia extare credebantur; ita ab initio fruſtra expetita. Male tandem baronum Sicilienſium fato ejus quoque editionis exemplum tineis, ac blattis marceſcens ei delatum. Ibi & ejuſdem Appuli *proœmium*, & *gratulatio peracti operis* viſebatur. In gratulatione peracti operis ſubſiſtens advertit, ibi Appulum enarrare, reliquos quidem capitulorum libros ſe plurium codicum collatione emendaſſe; quod tamen ad primum librum,

brum, in quo præsens capitulum continetur, ejus exempla frustra conquisisse; eum igitur excripsisse totum ex codice a barone Asari sibi tradito. Audi ea de re ipsum Appulum, cujus procemium, & gratulationem typis mandavit Carolus Pecchia *tom.* 3. *post pag.* 328. *Cum tria quisque volumina liber contineat, nolo vos præterire, primum unius dumtaxat auctoritate codicis vetustissimi, quem studiosius baro Asari nobis commodavit, confectum esse.* Habes candide lector omnes rei gestæ positiones, quibus sane sine partium studio perpensis, quovis pignore certare licet, verba in capitulo illa, *vel non communibus*, in fisci fraudem fuisse supposita, atque ea avum, proavum, aliumve ejusdem baronis superiorem parentem in Jacobi privilegium intrudi curasse. Res in dolo manifestario cubat, & mirari ego non desino, cur fraus isthæc nemini

ni hactenus suboluerit. Ita per plura sæcula per magistratuum seu imperitiam, seu conniventiam cum fisci fraude, ac pessimo publico fortunæ privatorum auctæ; neque alias patuit, nusquam impunius grassari fraudulentos homines, quam in publica causa prodenda.



TITULUS XII.

De feudorum refutatione.

IN consuetudinibus feudalibus feudum refutare dicitur, qui illud renunciat. Scriptores enim sequioris ævi refutare pro renunciare sexcenties usurparunt, ut ostendit Ducangius *in voc. refutare*. Existimarim tamen, ab initio personam potius directi domini refutatam, eumque exemplo refutati judicis refutari dictum, promisso servitio dene-

negato. Verum cum directus dominus refutari non posset, nisi ei feudum renunciatum esset, non ipse dominus, sed feudum refutari mox dici cœpit. Sane in charta Henrici II. apud Cujacium *feudor. libr.* 2. *tit.* 14. vassallus dicitur *unum ex dominis refutare*, ei rata feudi resignata. Utcumque id fuerit, in jure feudali communi duplex occurrit feudi refutatio, prout vel directo domino, vel agnato proximo, remoto, aut extraneo etiam ea fiat. Cuicumque facta ponatur, per refutationem contingit præmatura successio. Hinc eam pragmatici *successionem præventivam* appellitant. Id inde manat, quod feudum, perinde atque allodia, in rei feudalis universitate consistit. Feudo igitur refutato, in juris universitatem refutatarius succedit exemplo heredis, ac feudi refutati respectu ipsius refutantis personam induit. Proinde ipsum hujus

li-

libri argumentum flagitat, ut utramque refutationis speciem paucis enarremus.

II. Primo igitur ex jure feudali communi feudum ipsi domino refutari potest, neque volenti tantum, sed invito quoque. Feudum enim beneficii rationem habet, & cuique licere debet, beneficio renunciare pro lubitu. Neque vero eam ob rem quidquam dominus detrimenti subit, cum sexcenti non desint, qui feudo refutato potiri velint. Nec recte quidam in contrariam sententiam argumentum ab emphyteusi desumunt. Quidni enim ab usufructu potius argumentum petatur, qui pro usufructuarii arbitrio proprietario cedi potest? Id tantum admiserim, refutationem intempestivam esse non oportere, veluti si belli tempore feudum refutare quis coeptet. Conf. Rosental. *c. 9. membr.* 1. *conclus.* 50. At vero perperam plerique docuerunt, ex jure feudali communi sine

agnatorum assensu feudum domino refutari non posse. Quæ enim ex consuetudinibus feudalibus in eam sententiam fragmenta trahunt, refutationem extraneo, non vero domino factam exhibent. Igitur ne eorum quidem sententia admittenda, qui feuda antiqua inter, & nova interesse statuunt; in antiquis autem sine agnatorum assensu refutationem ratam haberi non oportere. Ejus enim differentiæ nec volam, nec vestigium invenire in jure feudali licet. Conf. Cujac. *de feud. libr.* 2. *c.* 14. Sed in his diutius immorari piget: nam, prout sunt res hodie, vix quisquam directo domino feudum refutat.

III. Inspecto jure communi feudali, extraneo etiam, & ab agnatione prorsus alieno feudum refutari potest. Si tamen factum id fuerit, modo de feudis antiquis, & paternis agatur, non solum directi domini, sed & agnatorum con-

consensus in refutatione requiritur. Ea enim in specie agnatis contra investituræ legem spes feudi potiundi præripitur. Audi ea de re collectorem *consuet. feud.* 2. 39. *Alienatio feudi paterni non valet etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reversurum.* Si igitur in refutatione neglectus sit agnatorum assensus, qui proximus gradu erit, saltem post refutantis obitum a tertio possessore feudum revocare poterit, ne pretio quidem restituto, si fortasse pretium in refutatione intercesserit. Id ipsum tamen intellige, modo ne agnatus ille proximior refutantis hereditatem agnoverit *consuet. feud.* 2. 45. At vero si solo agnatorum assensu sine consensu directi domini feudum refutetur extraneo, res in causam commissi cadit. Ea igitur in specie, ut generatim alias sine concedentis assensu feudorum alienatio-

ne facta, feudum refutatum ad concedentem redibit *consuet. feud.* 2. 52. Sed isthæc delibasse sufficiat. Vix enim invenias, qui in animum inducat feudum extraneo refutare. Præstat igitur, refutationem agnatis fieri solitam, & apud nos frequentissimam paucis enarrare.

IV. Jure communi feudali novi quidem feudi refutatio sine domini assensu tantum liberis fieri potest. Quod tamen ad antiqua feuda, ea in agnatos quoslibet per refutationem transferri possunt, seu proximo, seu remotiori feudum refutetur. Consistet igitur refutatio, licet, neglecto proximo, remotiori fiat *consuet. feud.* 2. 26. §. *Titius filios*. Indidem autem constat, ratam haberi refutationem remotiori factam, licet directi domini desit assensus. Neque adversus eum id injurium videri debet. Ex regulis scilicet consuetudinum feudalium feudum concessum intelligitur omnibus,

qui

qui primo ejus quæſitore prognati fuerint: concedentis autem non intereſt, num quis proximior, an remotior feudo potiatur. Vide Roſental. *c.9. membr.1. concluſ.* 52. Enimvero ipſorum agnatorum reſpectu longe intereſt, num proximo, an remotiori refutatum ſit feudum. In hac enim poſtrema ſpecie, ſi ſine proximioris aſſenſu facta ſit refutatio, poſt refutantis obitum ab agnato proximiori feudum vindicari poteſt. Audi tota de re collectorem ipſum *conſuet. feud. libr.* 2. *tit.* 26. *Titius filios maſculos non habens partem ſuam feudi Sejo partem ejuſdem feudi poſſidenti agnato ſuo conceſſit. Sempronius proximior agnatus, mortuo demum Titio, partem illius feudi, nullo dato pretio, recuperare poteſt.* Sed, his ex jure communi delibatis, videamus, quibus legibus apud Neapolitanos refutationem feudorum admitti placuerit.

V. In Regno Neapolitano iisdem ferme regulis in jure Feudali præstitutis feudorum refutatio recepta fuit. Cum apud nos tamen feudorum alienatio severius sit interdicta per Friderici II. legem *in constitut. constitutionem divæ memoriæ*, ea sine assensu Principis expresso non tantum extraneis, sed ne agnatis quidem remotioribus fieri potest. Ex patriis igitur institutis proximo successori tantum feudum refutare licet. Cum vero, ut supra monuimus, præmatura quædam successio sit refutatio, in ea peragenda ea ferme omnia refutator servare debet, quibus alias adiguntur barones, si de feudis in testamento statuant. Proinde si de jure Francorum sit feudum, id tantum natu majori refutari potest. Sin de jure Longobardorum fortasse fuerit, modo ne & ipsum sit individuum, virilis sexus seu liberis, seu agnatis æque omnibus refutari oportebit.

bit. Quod tamen diximus, ad proximum ſucceſſorem in refutatione feudum redire oportere, eam poſitionem ulterius etiam extenderim ex *pragmat.* 38. *de feud.* Ibi ſcilicet baronibus conceſſum, ut maſculis carentes ipſam fœminam ſe prognatam in teſtamento a feudis poſſent arcere, atque ea legare maſculo, qui in defectu fœminæ proximus ſucceſſor eſſet. Cum igitur, qui per refutationem de feudo ſtatuit, in illud veluti ultimum componat arbitrium, & ipſa refutatio, veluti feſtinatam ſucceſſionem continens, a teſtamento vix differat, exploratum videtur, omiſſa proximiori fœmina, in maſculum ab ea proximum per refutationem quoque feudum transferri poſſe. Id autem eo magis admiſerim, quia in prædicta ſpecie baronibus conceditur de feudis ſtatuere pro proximiori poſt fœminam maſculo non teſtamento tantum,

ſed per contractus etiam *in pragmat.* 33. *de feud.*

VI. Porro licet recepti Regni mores proximo ſucceſſori ſine aſſenſu Principis feuda refutari ſinant, id ipſum tamen intellige, modo ne pactis adjectis gravata ſit refutatio, & *pactionata* ea ſit, quam appellant. Ea enim in ſpecie conſiſtere quidem haud poteſt, niſi Regis aſſenſu expreſſim firmata fuerit. Pactionata autem refutatio erit, ſi pacta ei adjiciantur, quæ ipſum feudum afficiant, & jus in feudum ipſum aut refutanti, aut tertio pariant. Ita quidem pactionata refutatio videri debet, ſi refutanti reſervatus ſit uſusfructus, eive quid annuum promiſſum fuerit, feudo ipſo hypothecæ ſuppoſito. Nam non minus jure feudali communi, quam patrio ut refutatio valeat proximo ſucceſſori facta, oportet, ut ea pure, & abſolute fiat, ac refutans ipſe ſe veluti

de

de medio tollat, omni jure in feudum abdicato. Vide Camerar. ad *c. Imperialem. chart.* 31. *l. G. &* Rovit. ad *pragm.* 4. *de feud. n.* 8. *& sequ.* Ipsa igitur feudi administratio in refutatarium libera transferri debet. Proinde & tacite emancipatus filius intelligitur, ubi ei refutatum sit feudum. Enimvero cum pacta conventa jus civile servari jubeat, si, hypotheca in feudum non constituta, quid sibi annuum stipuletur refutans, & refutatarius obligabitur, neque refutatio corruet, licet ipsius feudi fructus promissi fuerint. Feudi enim fructus inter allodialia referri debent, neque ea promissio jus in feudum ipsum constituit. Conf. de Marin. ad *Reverter. decis.* 550. *& l.* 81. *ff. de contrah. empt.*

VII. Non minus jure feudali communi, quam patrio in feuda diverse succeditur, prout diversum sit feudum ipsum,

ipſum, ac prout ſeu novum, ſeu antiquum, aut paternum id fuerit. Dubium igitur videri queat, num feudum filiis refutatum paterni, & antiqui, an novi feudi jure cenſeri debeat. Secundum conſuetudines feudales controverſia iſthæc ex pactis cum ipſo domino in refutatione initis definiri debet. In dubio tamen feudum filiis refutatum jure ſeudi paterni, & antiqui cenſeri placuit *conſuet. feud.* 2. 14. Enimvero in Regno Neapolitano pertendebant olim fiſci patroni, ipſi filio feudum refutatum jure novi feudi cenſeri oportere. Cum tamen id durius videretur, precibus Carolus V. a baronibus interpellatus eis indulſit, ut in ejuſmodi ſpecie antiqua, ſeu paterna poſt refutationem feuda cenſerentur, tamquam ſi non per refutationem, ſed per patris obitum refutatarius ſucceſſiſſet *pragm.* 14. *de feud.* At vero ipſis liberis refutatione facta, ea nullum

fiſco

fisco detrimentum afferre debet. Quapropter relevium solvi oportet non minus in filii, quam in refutantis obitu *pragm.* 15. & 20. *de feud.* Proinde ne quid captaretur in fisci fraudem, cautum in Regno fuit, ut refutationes intra dies quindecim in Regiæ Cameræ quinterniones referrentur: si secus fieret, refutatio pro infecta haberetur *d. pragm.* 20. *de feud.*

VIII. Porro in Regno feuda a patre filio frequentius refutari solent, seu ut se pater tædio administrationis eximat, seu ut potitus feudo filius honestiores nuptias inire possit. Hinc duo quidem in disceptationem venire queant, primo scilicet, an, præmortuo filio, feudum, excluso fisco, ad patrem redire debeat: deinde, an, si & alii superfint fratres seu germani, seu consanguinei, ipsis etiam patrem præferri oporteat. Quod ad primum, inspecto jure feudali commu-

muni, modo ne in refutatione placuerit, ut feudum tamquam novum in filium transferatur, poſt filii obitum fiſco, aut cuicumque domino præferendus eſt parens *conſuet. feud.* 2. 49. Quod ad alterum, ex jure communi feudali quoque putarim, ipſum parentem refutatarii fratribus præferri oportere. Ea quidem in ſpecie jus feudale fratrem præferre videtur *conſuet. feud.* 2. 14. Ibi tamen non inter fratrem, & patrem, ſed poſt parentis obitum inter fratrem, & dominum lis inſtituta ponitur. Quicquid tamen ea de re jus commune feudale caveat, in Regno Neapolitano recepti mores patrem non minus fiſco, quam defuncti fratribus in feudo refutato præferunt. Conf. de Franch. *deciſ.* 3. *n.* 1. Id autem æquitatem habet, ne filio ſimul, & feudo pater carere cogatur. Ea tamen in ſpecie non reverſionis quidem, ſed ſucceſſionis jure,

re, & cum hereditaria qualitate feudum patri defertur. Id eo pertinet, ut in feudum pater hereditario jure ſuccedat. Is igitur non tantum relevium ſolvere adigetur, ſed, ut alias heredes reliqui, æs etiam alienum compelletur expungeре. In eam vero ſententiam ipſum Sacrum Conſilium judicaſſe comperio apud de Franch. *d. deciſ.* 3. *n.* 10.



TITULUS XIII.

De vita, & militia præſtanda liberis natu minoribus.

SUpra docuimus, cum in Regno Neapolitano, cum paſſim in Europa alibi in individua feuda, ſeu de jure Francorum, ſeu Longobardorum ſint, admitti liberos tantum natu majores. Liberis igitur natu minoribus in ejuſmodi

modi feudis consultum oportuit, ne paterni patrimonii exsortes omnino forent, neu in Civitate cum dehonestamento familiæ turpi laborarent inopia. Proinde sub ipsa Nortmannici Principatus auspicia, ut baronum filiabus præstituta dos fuit, qua nubere honeste possent, ita & liberis natu minoribus *vitam, & militiam*, quam vocant, ab eo præstari placuit, cui individui feudi successio delata foret. Ut igitur rem totam successoriam absolvamus, neque hic ejus argumenti quid desit, de vita, & militia quoque pauca monebimus.

II. Primum omnium satis constat, quæ *vita, & militia* a pragmaticis dictitatur, in Friderici constitutionibus *militiam* simpliciter appellari. Res aperte liquet ex *constit. comitibus. de adjutor pr. milit. fratr. Militiæ* igitur *vitam* addidere doctores, ut ipso vocabulo ostenderent, annua illa præstatione,

ne, quæ a barone fratribus natu minoribus exolvenda foret, eorum vitam ſuſtineri oportere. In prædicta autem Friderici conſtitutione militia a barone præſtanda duo quidem inculcat, primo ſcilicet, ab eo expendendum, quicquid aſſumentes fratres pro more ſæculi militare cingulum erogaturi forent; deinde & annuæ quantitatis præſtationem, qua fratres natu minores exhibere ſe poſſent. Sed lubet ipſa Friderici verba producere ex *d. conſtit. comitibus*. *Pro faciendo fratre milite non minus, quam pro ſororibus maritandis occaſione eorum, quæ a communi patre frater major habere dignoſcitur, ex debito teneatur. Et frater minor militiam ſibi debitam de bonis patris a fratre majore petere poterit, & habere*. In præſenti autem argumento militum appellatione non intelliguntur, qui hodie in numeris ſunt, & in hodierna militia merce-

na-

naria, quam sequior ætas instituit, signa sequuntur. Eo enim vocabulo designantur, qui pro more temporum in equitum ordinem recipiebantur. Id autem cum fiebat, *militare* dicebantur adolescentes illi, qui receptionem & jubebant, & exequebantur. Vid. Ducang. voc. *militare*. Is ordo nulla quidem Principum lege, sed privatim, & veluti ex compacto nobilium in Europam fuit invectus: ipsi autem Principes gloriosum sibi putabant, si in eum recepti forent. Receptionis tempore quisque profitebatur viduas, virgines, pupillos armis tueri, atque, quod in se foret, ab eis injurias arcere, aut ulcisci. Baronum liberis, ubi reciperentur, sumptibus haud modicis opus erat: eos igitur a fratre natu majori fieri Fridericus jubet *d. constit. comitibus*. Vide de tota re librum inscriptum *memoires del' ancienne chevalerie*. Ceterum is quidem

ordo

ordo paulatim in Europa desiit, ubi tot ordines a Principibus sunt instituti. Ita apud nos retentum vetus militiæ vocabulum, vis adempta. *Vita* autem, *& militia* appellatur *annua illa præstatio, quæ fratribus natu minoribus a feudis individuis exclusis veluti loco legitimæ a barone debet exolvi*. Ex ipsa definitione liquet, vitam, & militiam non tantum fratribus natu minoribus, sed & eorum liberis in infinitum præstari oportere. Si secus statuas, res eo redigitur, ut alimenta liberis non debeantur. Nugas igitur doctores agunt, qui, ab aliis alimentis argumento petito, statuunt, post fratris obitum eam obligationem perimi. Quid in laterali linea, si de feudo novo agatur, eoque individuo, poteritne a fratribus natu minoribus vita, & militia peti? Ea in re quoque dissidium fecere doctores. Verum & in ea specie Sa-

erum Consilium vitam, & militiam praestandam pronunciavit, ut testatur Camillus de' Curte *resolut. feud. c.* 2. *n.* 24. Id ita fortasse placuit, quia, si individuum non fuisset feudum, fratres aeque omnes in illud admissi forent. Proinde ne prorsus neglecti viderentur, aequitas suasit, ipsis saltem vitam, & militiam non denegari.

III. Jam vero vitae, & militiae praestandae onus reale est, & ipsi feudo haeret. Si igitur feudum fuerit alienatum, contra tertium possessorem fratribus natu minoribus licet agere. Id & aequitas suadet, & lege sua confirmavit Robertus *in capit. alienationis actus*. Quo autem modo vitam & militiam computari oporteat, duplex doctorum sententia circumfertur. Alii post Capanum *de vit. & milit. quaest.* 6. *n.* 22. ea in re ita rationes ineundas censent, ut dimidium ipsum redituum fratri natu

ma-

majori præcipuum addicatur; alterum vero dimidium relinquatur fratribus natu minoribus ita tamen, ut & in altero hoc dimidio in tributum veniat frater etiam natu major. Contra alii existimant, ea in re a legitimæ regulis alias ex rebus aliodialibus præstandæ recedi non oportere; vitæ igitur, & militiæ quantitatem ad rationem ipsius legitimæ computandam. In eo doctorum dissidio postremæ huic sententiæ suffragium meum addiderim. Primo enim & rebus frequentius judicatis, & doctorum majori numero ea defendi potest. Nam doctores plerosque omnes Neapolitanos, ac Siculos eam amplexos ostendit Antonius de Marinis *allegat.* 130. Deinde, quod magis urgendum existimarim, ipsa juris ratio ei favet. Cum enim apud nos in locum legitimæ in feudis individuis vita, & militia successerit, eam iisdem cum legitima regu-

 lis

lis computari oportet. Ab ipsa autem legitima argumento desumpto, facile definire fuerit, in liberis numerandis fœminas etiam numerari oportere, ea adhuc lege ut partem faciant, non accipiant. Si secus statuas, ratio reddi nequit, cur in computanda legitima in allodiis fœminæ computari debeant, neutiquam in vita, & militia, quæ, ut vidimus, in legitimæ locum & ipsa successit. Conf. de Marin. *d. allegat.* 130. *n.* 14. Eam vero sententiam fuisse in foro receptam, testatur ipse Reverterius, licet ab ea ipse fuerit alienior *decis.* 1. *p.* 1.

IV. Ex dictis liquet, vitam, & militiam, modo sine liberis decedant filii natu minores, veluti in nudo usufructu consistere, neque proprietatis quidpiam eo nomine peti jus esse. Id ipsum tamen intra feuda antiqua coerceri debet. Nam si de feudis novis, & ab ipso pa-

patre quæſitis ſit controverſia, ea in ſpecie integrum erit liberis natu minoribus, vel vitam, & militiam petere, vel partem pretii, quo feudum emptum a parente fuerit. Conf. de Marin. *reſolut. jur. libr.2. c.*85. Ejus autem conſuetudinis in Regno vetuſtiſſimæ eam paſſim rationem pragmatici afferunt, quia ſi pecunia in feudi emptionem a patre expenſa non foret, illam in arca patris, ejuſque allodiali patrimonio inveniſſent liberi natu minores : in ipſius igitur partem æque cum filio natu majori forent admiſſi. Enimvero id obtinebit quidem, ſi pater aut inteſtatus deceſſerit, aut liberos æque omnes heredes teſtamento ſcripſerit. Nam ſi ſecus extrema judicia ordinarit parens, liberi natu minores aut acquieſcere teſtamento debent, aut ex feudi pretio, ut ex aliis allodialibus, tantum legitimam poſtulare poterunt, ut recte monet idem

de

de Marin. *loc. cit. n. 6.*

V. At vero illud disceptatum video, qua actione prædictam pretii partem a filiis natu minoribus peti oporteat. Pragmatici ferme omnes Iserniæ servum pecus ad *c. Imperialem. §. præterea ducatus*, existimarunt, eam collationis jure peti oportere. Verum id quam absurde scriptitent, vel inde liquet, quod collatio locum non habet, nisi ubi quis cum reliquis heredibus admitti postulat ad parentis hereditatem, qua si se abstineat, non potest ad collationem adigi *l. 14. & 16. C. de collation.* Quapropter si eam pretii partem per collationem petendam statuas, impune posset filius natu major, reliquo parentis patrimonio repudiato, totum sibi feudum retinere; ita vero necessitatem effugeret ratæ pretii præstandæ liberis natu minoribus. Id perpendens Rovitus ejus sententiæ absurditatem non inficia-

tur,

tur, ab ea tamen non recedendum putat, *quia error jus facit decis.* 38. Cum tamen indignum jurisconsulto sit, receceptis erroribus sententiam tueri velle, idem Rovitus eam quæstionem accuratius retractat ad *pragm.* 25. *de feud.* Ibi autem late probat, petitione potius hereditatis eam pretii ratam peti oportere, ejusque actionis fundamentum esse pretium ipsum in feudum expensum, & cum reliquo patrimonio in ipso feudo acquirendo confusum, quam viam ferme & ante eum inivit Montanus ad *d. c. Imperialem*. §. *præterea ducatus*. *n.* 128. *& sequ.* Id autem cum ratione juris convenire, nemo non videt. Cum igitur ob pretium quidem a parente erogatum, non ob feudum ipsum actio competat, inde intelliges, cur feudi meliorationes a temporis beneficio promanantes in æstimationem non veniant, ac filio tantum natu majori prosint:

ſint: eæ enim cum pretio ipſo commune nil habent. Id ipſum tamen ultra prædictam ſpeciem extendi nolim. Si enim de reliquis feudi additamentis agatur, quæ ei aut per inædificationem, aut prædiorum adjectionem acceſſerint, ea, ut reliqua allodia, in tributum venient, ac liberis æque omnibus prodeſſe debent. Conf. Schrader. *de feud.* 2. *p.* 9. *p. princip. ſect.* 2.

Finis Libri II.

Errata	*Corrige.*
tom. 1. p. 64.	
corporis Juſtinianei juris	*corpori Juſtinianei juris*
tom. 2. Œipo	*Œdipo*
adavum	rectius *atavum*

Cetera ſuppleat lectoris humanitas.

